


DISSJUR

54

ULB Düsseldorf



+1371 391 01





*F. G. J. Miller proffs
in absentia*

DE
TRANSLATIONE EPISCOPI

Ad Tit. VII. lib. I. Decretal.

PARS PRIOR,

EXPONENS

IDEAM, & EFFECTUS,
SUBJECTO, & REFUTATO CONSILIO
ABBATIS PANORMITANI
CONTRA *RABANUM SPIRENSEM*,

ad Treviros anno 1430. translatum,

QUAM

UNA CUM PARERGIS EX OMNIGENO JURE,

AUTHORE, & PRÆSIDE ME

GEORG. CHRISTOPHORO NELLER,

Jur. Utr. Doctore, & ad SS. Theolog. Doctoratum ad-
misso, Ss. Canon. in almâ, & antiquissimâ Universitate Trevirensi
Professore ordinario, Eminentissimi Principis Electoris, & Archi-
Episcopi Trevirensis Consiliario Ecclesiastico actuali &c.

PRO EXERCITIO

AD INAUGURALIA QUALIFICANTE

publicæ disputationi proposuit

Nobilis, ac perquam Eruditus Dominus,

JOANNES JACOBUS BOURQUÉ, Trevir.

Juris utriusque, S.R.I. publici, & Feudalis AUDITOR.

Treviris in Auditorio Majore Juristarum Vici Thirici

Die 15. Junii ab horâ 9. ad 11.

Anno MDCCLXIII.

Augustæ Trevirorum, Typis Elchermannianis.

Diss. jur. 54

Diss. Jur. 54
23c

OPPUGNANTES.

Reverendus, Nobilis, & Pereruditus D. JOANNES
HERMANNUS JOSEPHUS LYSER,
Confluus, Presbyter, Beneficiatus in Clotten,
SS. Theologiæ Emeritus, Jur. utr. Auditor.

Pranobilis, ac Pereruditus D. FRANCISCUS
GOSWINUS NICOLAUS FABRI, Aquis, Aquis,
Jur. utr., S. R. I. publici, ac feudalis Auditor.

1371 391 01



§. I.

Rubrica, Notio verbi, Oppositum, Analoga.



Uatuor hujus tituli *capitula* de *solis Episcoporum* translationibus agunt; ideò in vulgatis plerisque ponitur Rubrica: *de translatione Episcopi*; licet alii codices, & commentarii variant. *

* Unus de codicibus MStis in Bibliothecâ S. Simeonis hujatis habet: *de translatione Episcoporum*. Duo alii MSti in eâdem rubris literis ponunt simpliciter: *de translatione*; alteri tamen eorum inelegans manus junior Sæculi XV. minutis apicibus nigris juxta scripsit: *Pontificum*. Ibidem codex impressus an. 1473. planè caret rubricâ, collocans postremo loco hæc 4. capitula sub titulo *de electione*. Alii habent, *de translatione Episcopi, vel electi, rectius, vel confirmati*. GOFFREDUS in Summâ: *de translatione Prælatorum*, ad modum rubricæ: *de postulatione Prælatorum*.

II. Illis nempè Compilationum temporibus *translationis* verbum jam *solis* ferè *Episcopis* adhibebatur; *inferiores* Prælati, & Clerici accipiebant *transfundi*, vel suas Ecclesias deserendi, *licentiam*, secùs, quàm

olim; * licet adhuc Sæc. XII. circa an. 1186. occurrat hoc quoque verbum *transferendi* in cap. 5. de *rev. permut* de personis minoribus.

* Concil. Nicæn. I. can. 15. De *civitate ad civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, TRANSFERATUR*: ita legitur in codice canonum *Dionysii* exigui; licet *Gratianus* in can. 19. VII. q. 1. ponat; *transfeat*. Concil. Chalcedon. can. 10. de *Clerico* sic loquitur: *Si verò jam quis TRANSLATUS est de aliâ in aliam Ecclesiam; & refert Gratianus in can. 3. XXI. q. 2.* Postea verò inferioribus Episcopo *Prælati*, accommodabatur verbum simplicis *licentia* *transmigrandi, transferendi, vel deserendi monasterium*, ut in cap. 7. de *con-*
suet. Facit huc Canon Africanus Concilii Carthagin. IV. an. 398. *Inferioris gradus Sacerdotes, vel alii Clerici, concessione Episcoporum, possunt ad alias Ecclesias MIGRARE.* *Gratian.* can. 37. in fin. VII. q. 1.

III. *Passivo* autem verbo usi sunt Ss. Canones, ut esset potius *μετάθεσις, transpositio*, quàm *μετάβασις, proprii motus transitio*, de Episcopatu ad Episcopatum. *

* Quàm deberet in translationis negotio Episcopus *passivè se habere*, mutationem non querendo, antiquissimæ regulæ nostræ disertè exprimunt: *canon*, qui dicitur *Apostolorum*, 14tus ait: *licet COGATUR à plurimis, nisi fortè quis eum rationabili causâ COMPELLAT; & hoc NON à SEMETIPSO PERTENTET, sed multorum Episcoporum judicio, & maximâ supplicatione perficiat.* Synodus *Alexandrina* an. 340. huc applicat illud *Apostoli*: *alligatus es uxori, NOLI QUÆRERE solutionem.* *Presbè* scripsit circa an. 581. *Pelagius II. Papa* epist. 2. *Aliud est MUTARE, aliud MUTARI: aliud est SPONTE TRANSIRE, aliud COACTE, aut NECESSITATE venire: unde non isti MUTANT civitates, sed MUTANTUR; quia non SPONTE, sed COACTE, hoc agunt.* *Gratian.* in can. 35. VII. q. 1.

IV. *Passio* igitur cùm sit *pro parte Episcopi*, qui transfertur; *actio* verò majoris autoritatis *pro parte ejus*, qui transfert, rectè sic definitur *Translatio: est decretum superioris ecclesiastici, * absolvens Episcopum à vinculo suæ ecclesiæ, eundemque alteri præficiens. ***

* Non 1.) *Plebis*, cujus acceptas literas pro excusatione transmigrationis servire non debere, *Sardicense* an. 347. decrevit can. 2. *Consentit Antiochenum II.* can. 21. in verbis: *nec vi coactus à populis.* Non etiam 2.) *Principis mundani*, saltem *soli*; licet olim Imperatorum, ac Regum in translationibus sæpè intervenerit studium, atque consensus, & propter *ius nominandi* ad Episcopatus, quod plurimi Reges habent, hodieque intervenire debeat. Vide exempla apud *Thomassin.* de vet. & nov. discipl. eccles. Tom. 2. lib. 2.

cap. 62. & seq. Verumtamen Imperatores, alique potentes Principes, interdum ex spiritu mundi translationibus, ipsos non attinentibus, indebitè fa-
verunt, atque ipsos adèd Romanos Pontifices in sua demùm vota pertraxe-
runt; illustrem casum dedit Otto Frisingensis Lib. 2. de Gest. Fridericì I. cap.
6. 8. 10., ubi, discordante electione Magdeburgensi, Imperator suggestit trans-
lationem Guicmanni, Cicensis in Saxonìa Episcopi, quam, licet à plurimis
Germaniæ Præfulibus, etiam à nostro Hillino, aulicâ curialitate comproba-
tam, Eugenius Papa III. acri epistolâ reprobavit; Anastasius IV. autem, ce-
dens Fridericò, ratihabuit, & Guicmanno, cum Regiis nunciis Romam ac-
cedenti, pallium dedit; subjungit Otto: non sine quorundam scandalo, qui,
ne unquam id fieret, immobiliter id fixum Romanos tenere, à proprio ipsorum
ore audiverant: sequelam complacentiæ hujus politicæ addit istam: Ex hinc
non solum in secularibus, sed & in ecclesiasticis negotiis disponendis auctoritas
Principis plurimùm crevit.

* Sumitur ex cap. 4. de postulat. pralator. in fin., ubi translationis formula: Eun-
dem Archiepiscopum à vinculo, quo tenebatur Colocensi ecclesie, absolventes, ad
Metropolim Strigoniensem transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi.
Confer. cap. 40. de elect. prop. fin. Eandem formulam tradit Rigantius,
Author recens, ad Reg. 2. Cancell. §. 3. num. 28.

V. Oppositum translationis est transitus proprio judicio præsumptus,
quem toties condemnârunt Ss. Canones; *cùm Episcopus suæ alligatus
Ecclesie liberum non habeat sine canonicâ permissione volatum. Cap. 5.
de postulat.

* Concilium Chalcedonense can. 5. De his, qui transmigrant de civitate in civita-
tem, Episcopis, aut Clericis, placuit, ut canones, qui de hac re à sanctis Pa-
tribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem. Arianis hoc valdè erat fa-
miliare, ut occupando nobiliores sedes eò citiùs propagarent hæresim
suam. Offendit valdè Sæc. IV. Ecclesiam Catholicam temeritas Eusebii,
hominis Ario contra S. Athanasium addictissimi, qui primùm à Beryto se
transtulit Nicomediam, ab hac Constantinopolim; primam translationem jam
ante Nicaenum I. damnaverat Alexander Episcopus Alexandrinus in Ency-
clicâ apud Athanasium Tom. 1. nov. edit. pag. 379; utramque Alexan-
drina Synodus an. 340. ibid. pag. 129. Huc pertinet in vectiva Julii I. Papæ
ad Eusebianos epist. 1. an. 342, apud Coustant. Epp. RR. PP. pag. 363.
Non solum enim Arianis admisi, sed & à loco in locum Episcopi SESE TRANS-
FERRE medicati sunt. Si igitur verè parem, eundemque existimatis Episcopo-
rum honorem, neque ex magnitudine civitatum, ut scribitis, Episcoporum di-
gnitatem metimini, oportuit eum, cui parva civitas concedita fuerat, in illâ
manere, nec contemptâ illâ, qua sibi credita erat, ad aliam, sibi non commis-
sam, transire, ita, ut eam, qua sibi à DEO tradita est, despiceret, inanem
verò hominum gloriam exoptaret. Confer epist. 5. Damasi ad Paulinum, &

aliam ad Acholium, *ibid.* pag. 378., & 538., nec non pag. 697. epistolam Siricii ad Gallos Episcopos. Pelagius II. Papa, relatus à Gratiano in *can.* 35. VII. q. 1., vocat ejusmodi transitum *causam presumptionis, avaritia, aut damnationis, aut propria voluntatis, vel sua delectationis.*

VI. Neque ad *speciem* bujus damnati transitus, neque ad *speciem translationis*, pertinent *exempla Apostolorum*, qui fundatas à se ecclesias aliquamdiu rexerunt, posteaque, *obedituri Apostolatùs sui partibus*, inde in alias orbis regiones, ad propagandum Evangelium, discesserunt; quia nec à Christo, nec ab Ecclesià, *uni certo loco* ad dies vitæ alligati erant. *

* Suppositivus *canon* 34. VII. q. 1. parùm appositè adduxit exemplum S. Petri Apostoli, quasi hic Antiochià Romam *translatus* fuisset; quis enim eum alligaverat *Antichena* cathedræ, quis transtulit ad Romanam, eidemque ecclesiæ connubio junxit stabili? Non est *translatus*, sed *transivit*: imò, nec Romanæ se *perpetuò* desponsavit: hinc *Constant* lib. cit. pag. 3. §. 9. scribit, potuisse viventibus adhuc Apostolis, *Petro & Paulo*, in Romano Episcopatu, surrogatos esse alios Episcopos, *Linum* nempe, & *Cletum*, eò quòd Apostoli, prædicandi Evangelii gratià, in alias urbes, regionisque profectionem susceperent, carere autem Episcopo Roma non posset; siquidem *Paulus* in Hispaniam pervenit, *Petrus* verò Pontum, ac Bithyniam sæpè peragravit. In hæc sententiã stertit *Rufinus*, Author Sæc. IV., *Præfat. in libros recognition.*, ubi ad communem difficultatem, *cur S. CLEMENTI à S. PETRO fuerit docendi Cathedra tradita, & tamen S. LINUS cum CLETO*, quem ANACLETUM *Rufinus* vocat, *in urbe Româ ante S. CLEMENTEM fuerint Episcopi*, sic respondet: *cujus rei hanc esse accepimus rationem, quòd LINUS, & ANACLETUS fuerint quidem ANTE CLEMENTEM Episcopi in urbe Româ, sed SUPERSTITE PETRO, videlicet, ut illi EPI-COPATÙS curam gererent, ipse APOSTOLATÙS impleverit officium; & HOC MODO utrumque verum videbitur, ut & illi ANTE CLEMENTEM numerentur EPISCOPI, & CLEMENS tamen POST obitum PETRI docendi suscepit sedem.* Ab hoc non multùm abludit *S. Irenæus* lib. 3. cap. 3. advers. hæres. *Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli ecclesiam* (Romanam) *LINO EPISCOPATUM ADMINISTRANDÆ ECCLESIAE tradiderunt.* Idem clariùs explicavit Sæculo XIV. *Nicephorus* *Eccles. hist.* lib. 2. cap. 36., ubi, postquàm priùs summam dixerat, quòd *S. Petrus sub Neronis Imperio* (*Lactantius* lib. de mortib. persecutor. cap. 2. ait: *cùmque JAM NERO imperaret, Petrus Romam advenit*) Romam venerit propter *Simonem magum*, Christum prædicaverit, atque *Romanorum Ecclesia claves primùm quidem LINO, deinde ANACLETO* (quem à *Cleto* non esse diversum, verius est) & *post hos tertio, ad mortem vadens, sapientissimo CLEMENTI commiserit*, post hæc, inquam, in summâ præmissa, recenset, ubi *S. Petrus* qui denuò Româ discessit, & illuc, teste *Origene*, iterum *circa finem vitæ*

venit) medio tempore constitutus fuerit; nempe, eum post primum iter Romanum, unâ cum Simone, tanquam prodigiorum effectorem, Româ à Nerone pulsam, Hierosolymam rursùm, & orientales civitates petiisse, orbem miraculis illustrâsse, & ecclesias ubique constituisse; Neronis verò extremis temporibus iterum Romam, cum ibi quoque Paulus esset, secundò pervenisse, & cum isto eodem die ejusdem anni martyrium subiisse. In hoc systemate non invenitur casus alligationis, proinde nec translationis, S. Petri.

VII. Nec magis in casu transitus, vel translationis, versari existimabitur, qui dubio jure in loci alicujus Episcopum ordinatus, prohibetur ab accessu ad suam Ecclesiam, aliòque interim ad eandem ordinato, aliam consequitur cathedram; pro certo enim dici nequit ille extitisse alterius loci Episcopus.*

* Contigit hoc S. Gregorio Nazianzeno, qui & Theologus: finibus inter Cappadociam primam, atque secundam nondum regulatis, S. Basilii, Cæsareæ Episcopus, ordinaverat S. Gregorium pro Sasimorum oppido ignobili novum Episcopum; cum magna esset inter Basilium, & Anthimum, Episcopum Tyanensem, quâ Metropolitam Cappadociæ secundæ, controversia, cujusnam esset locus ille; ita se opposuit Anthimus, ut Gregorio nunquam liceret invisere suam præsentem sponfam; cessit Gregorius, nec locum suæ primæ Cappadociæ vindicavit Basilii; imò credunt, alium ab Anthimo illic ordinatum esse Episcopum: sic nulla amplius mentio de Gregorio Sasimorum Episcopo; postea Patri suo, Gregorio seniori, Nazianzeno Episcopo, adlegabatur purus Coadjutor, protestans, se post obitum patris ibi non mansurum: mittebatur deinde Constantinopolim, ibidemque invitatus creabatur Episcopus, desiderante Theodosio Imp., consentiente Clero, & Meletio. Tunc enim verò ab æmulis Aegyptiis Episcopis cepit ei objici, non tam, quòd esset aliquando ordinatus Sasimorum Episcopus, quàm, quòd, cum paternum antea Episcopatum, & Nazanzenam Ecclesiam administrârit, ad Constantinopolitanam tum fidem erectus esset, ut scribit Nicephorus lib. 12. cap. 11. Propter hoc velut translatus etiam usque Romam diffamabatur; sed hæc criminatio fuit improba, licet sanctus Vir, amore solitudinis, ultrò cesserit. Vide Constant pag. 538. Non deerant tamen aliqui, jam ante promotionem Gregorii consilium hoc reprehendentes, quasi habens speciem translationis; sed intercessit Meletius, hæc in parte Canone de Episcoporum translatione, quem nonnulli objecerant, postposito, ut scribit loc. cit. pag. 10. Nicephorus, dans rationem: optimè quippe divinus pater eorum vivorum mentem, & consilium, qui illum promulgaverant, tenebat; Synodus namque illa, ut occasionem ambitus in Ecclesiis præcideret, canonem eum proposuerat, quòd multa tum ex competitorum ambitiosâ prensatione provenissent mala; quòd si ambitus abesset, nihil prorsus extare impedimenti censuit, ut modo vita, aut doctrina multis aliis præstantior, aut simul utraque hæc constarent, aut communis denique &

publica cum magnâ commoditate utilitas per translationem in expectatione esset.

VIII. In eâdem excusatione à vitio *transitus* sunt Patriarchæ, Metropolitæ, & Episcopi *titulares*, ordinati ad continuandam feriem Sedium, sub jugo infidelium consistentium, si fiant actuales alibi Episcopi.*

* Sunt hi Episcopi illis omninò æquiparandi, quos suæ civitates non receperunt ab initio, veluti quondam *Meletius*, à Sebastenis repulsam passus, Bercæ privatam vitam agens, postea factus est Antiochenus Episcopus: in tales non cadet illud *Damasi* Papæ ad *Acholium*, & alios Macedonia Episcopos an. 380. Illud prætereà *commoneo dilectionem vestram, ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate aliâ in aliam transduci, & deservere plebem sibi commissam, & ad alium populum per ambitionem transire: tunc enim contentiones oriuntur, tunc schismata graviora occipiunt; cum & illi, qui amiserint sacerdotem, sine dolore animi esse non possunt, & illi, qui alterius civitatis acceperint Episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligant fore, sub alieno se agere sacerdote.* Coustant libr. cit. pag. 538. Quæ enim desertio, quæ contentio, quod schisma, quis luctus, quæ invidia, dum hoc sæculo *Fridericus Carolus* ex S. R. I. Comitibus de Schönborn, titularis *Arceadianopoleos*, factus est *Bambergensis* Episcopus? Aut, dum Eminentissimus Dominus noster *Joannes Philippus* ex *Patracensi* titulari, qualis post confirmationem coadjutoria creabatur, & ordinabatur, thronum *Trevirensis* conscendit, sine quavis translative bullâ? Tales non sunt constituti actu in matrimonio spirituali, sed potentiâ solùm; nam *Tridentinum* Sess. 14. cap. 2. de reform. vocat eos *Clero carentes, & populo Christiano*; quis carens uxore dicitur uxoratus? Vide dicta mea ad tit. de *postulat. Pralat.* inter quæstiones. Interim, teste *Rigantio* in Reg. 1. Cancellar. §. 7. num. 78., consueverunt summi Pontifices Episcopum Titularem, provisum de *secundâ Ecclesia*, etiam in partibus infidelium existente, absolvere à vinculo, quo priori tenebatur Ecclesia.

IX. Non est *translatio*, vel *transitus*, illa species, quæ olim singulari nomine dicebatur *incardinatio*; dum nempe Episcopus, per hostilitatem, vel plebis seditionem, suâ sede pulsus alteri præficitur civitati; quia *incardinato ejusmodi* deerat in *secundâ Ecclesiâ perpetuitas*; nam, cessante hostilitate, vel seditione, expulsus tenebatur reverti ad priorem sedem.*

* Pulcher textus in *can. 42. VII. q. 1.*, ubi *S. Gregorius M.* *Joannem* civitatis *Lisitanæ*, ab hostibus captæ, Episcopum, constituit *Cardinalem Sacerdotem* in *Scyllatinâ*, quæ tunc pastore vacabat, eâ tamen lege, ut, si civitatem illam ab hostibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem statum contigerit

revocari, ad eam, in qua prius erat ordinatus, Ecclesiam reverteretur; si autem praedicta civitas continuam captivitatis calamitate premeretur, in hac, in qua à Gregorio INCARDINATUS est, debeat Ecclesia permanere. Confer. can. 5. dist. 71. can. 5. & 6. XXI. q. 1. Vide Florentis opera juridica Tom. 1. pag. 227. Debent tamen expulsiōnem expectare Episcopi, nec meticolosè impingere in can. 46. & 47. VII. q. 1.; qui propter qualescunque persecuciones nolant mox deserere gregem.

X. Et hoc magis à translatione distat simplex commendatio alienae Ecclesiae juxta propriam ad tempus, quo vacat, vel quo impotentem habet Episcopum; est enim pura administratio ad interim, sine alligatione.*

* Vide can. 3. XXI. q. 1. In Africanis canonibus talis Episcopus vocatur *Intercessor*, aut *Interventor*, can. 22. VII. q. 2., alibi Episcopus *visitator*, & *ministerium visitationis*, quale committitur quoque vicino Episcopo, quando civitas propter caedes suorum Episcoporum privatur honore cathedrae, & vice parochiae constituitur, ut in casu can. 25. XXV. q. 2. Dicitur etiam *administrator*, quo postremo titulo Sæc. XIV. usus est Cuno Trevirensis in nummis suis: Cuno Archiepiscopus Trevirensis, administrator Colonienfis. Prodrum. Hist. dipl. Trevir. tom. 1. pag. 642. fig. 24. 25. P. Hartzheim in Hist. rei num. Colon. tab. 5. fig. 4. & 5. Clariss. Joachim in Grosso-theca Colon. tab. 7. fig. 71. alium Canonis nummum exhibet, in quo titulum gerit Vicarii Ecclesiae Colonienfis; ibidemque ex antiquo Chronico Colon. fol. 268. recenset varias titulaturas Canonis respectu Sedis Colonienfis; videlicet an. 1367. *Coadjutoris* pro Engelberto III., dein *Administratoris*, postea *Vicarii* pro Papâ Urbano V., reditus Colonienfes suæ Camerae applicante: Verba Chronici sunt: do voir Pays Urbanus tzo, ind verwandelde eme den Namen Administrator off eyn Bussrichter, ind gaff eme die Kirche van Coellen in Commendam, dat is in Bevell, ind wart genoempt eyn Commendatoir, off verwarer des Stiffes van Coellen. Darna behielte der Pays dat Bussdom van Coellen tzo Nutz in Urber der Cammeren van Rome, ind verwandelde eme den Commendatoir, und machte yn eynen gemeynen Vicarium van synen wegen des Stiffes van Coellen, so, dat der Pays den Nutz des Bussdoms eme ind synre Cammer behalden woulde. Daiena verwandelde der Pays eme den Namen des Vicarien, und machte Busschoff Cuno wederomb eyn Administrator, dat is ein Verwarer des Stiffes van Coellen. Vide Gesta Trevirorum in Tomo 2. Prodrumi pag. 844.

XI. Licet verò Leo IV. circa an. 850. statuerit, ut, qui plures ecclesias retinet, unam quidem titulatum, aliam verò sub commendatione retinere debeat, can. 3. XXI. q. 1.; tamen invaluit spiritualis polygama, per quam unus duos, tres, quatuor Episcopatus tenet, unius,

sicut alterius, ex æquo vir: * hanc speciem differre à *translatione*, simul & *Commendâ*, palam est.

* In nostrâ Germaniâ *pluralitas Episcopatum* frequentissima est; non ita enim pridem Sereniss. Bavarie Dux *Clemens Augustus* simul tenuit *Colonensem*, *Monasteriensem*, *Paderbornensem*, *Osnabrugensem*, *Hildesensem*; Eminentiss. ejus frater, Cardinalis *Theodorus*, *Leodiensem*, *Rati-bonensem*, *Frisingensem*, nec recusasset *Colonensem*, si vota obtinere potuisset. Talia excusantur propter statum Germaniæ inde à sic dicto tempore reformationis, atque ut illustrium filii condignam aulam servare possint. Duo *Archiepiscopatus* in Germaniâ vix conjunguntur eidem viro, quia *Magdeburgensis*, quem Sæc. XVI. Cardinalis *Albertus* unâ cum *Moguntino*, & administratione *Halberstadiensis*, tenuit, est secularisatus, *Salisburgensis* à cæteris nimium disjungitur; duo verò Electoratus Archiepiscopales eidem non conceduntur personæ: hinc in istis opus est *translatione*, qualis anno 1729. fiebat de Serenissimo *Trevirensi* Francisco Ludovico, Palatino Neoburgico, ad S. Sedem *Moguntinam*, cui fuerat datus Coadjutor cum successione. Transferri quoque ad hanc an. 1371., & jam prius an. 1368. ad *Colonensem*, sub lege dimittenda ecclesiæ *Trevirensis* postulatus, potuisset *Cuno* *Trevirensis*; sed acceptare recusavit, & cum *Trevirensibus* remanere usque ad mortem promisit. *Gesta Trevirorum* in Tom. 2. *Prodromi* pag. 844. Laudem meretur *Cuno*, quam *Constantinus M.* dedit *Eusebio* *Cæsariensi*, nolenti ad ecclesiam *Antiochenam* transferri: *reclissimè fecit prudentia tua, qua & mandata Dei, atque Apostolicam, & Ecclesiasticam regulam custodire statuit, Episcopatum Ecclesiæ Antiochenis repudiatis, & in eo potius permanere desiderans, quem DEI MANDATO ab initio suscepisset.* *Euseb. de vit. Constantin. M. lib. 3. cap. 61.*

XII. *Translatio* non est, cùm *Episcopus renunciavit* suæ Ecclesiæ, aut canonicè ab eâ depositus; *postea* verò ex licentiâ SS. Canonum, * vel de benignitate Apostolicâ, *resurgit*, id est, denuò *alium episcopatum* consequitur; quia non est *unitas motus passivi* à termino à quo ad terminum *ad quem*, ex intentione moventis, nec est *mutatio*, sed *nova creatio*. **

* Quibus in casibus *Episcopus*, qui renunciavit, reascendere possit ad regimen episcopale, fusiùs traditur in *cap. 11. de renunciatis*.

** Hinc *Conradus* à *Ravensburg*, qui ab *Hildesensi* ecclesiâ temerè transiverat ad *Herbipolensem*, nec monitus respuit, ideòque exemplariter correptus ab *Innoc. III.* fuit, licet demùm ei daretur *Herbipolensis cathedra*, dici tamen nequit *translatus*; quia utrâque *privatus* extitit, & modò, peractâ pœnitentiâ, *Herbipolens*, hactenùs vacanti, humiliatum gratiosè præfecit *Innocentius*. De quo casu plura inferiùs, & suo tempore.

XIII. *Postulationis*, de Episcopo factæ, *admissio* non differt in concreto (abstractam rationem non curo) à translatione ; nam unâ eâdemque formulâ perficitur. *

* Cap. 40. de elect. in fin. Tu vice nostrâ postulationem admittas, ac ipsum Archiepiscopum absolvas à vinculo, quo Heraclienſi ecclesia tenetur, concedendo ipsum Constantinopolitana Ecclesia in pastorem. Conter cap. 4. de postul. in fin., quod vide suprâ num. III. in not. 2.

XIV. *Sedium mutatio*, quanquam pari passu, quantum ad negotiî arduitatem, ambulet cum *mutatione Episcoporum*, uti vocat spurius canon 34. VII. q. 1. translationem ; propriè tamen tunc contingit, si cathedra ipsa cum suo Episcopo de unâ civitate in aliam ejusdem Diœcesis translocetur. *

* Ita DD. communiter intelligunt distincta verba cap. 1. h. t. translationes Episcoporum, ac sedium mutationes, ad quod posterius verbum Glossa signavit cau. Temporis qualitas 44. VII. q. 1., ubi S. Gregor. M. Temporis qualitas admonet, Episcoporum sedes, antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus, ejusdem diœcesis loca transponere, quò & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum facilius declinare. Plura exempla lege apud Florentem Tom. 1. pag. m. 236., & seq. Unum quoque recentius in lib. 13. cap. 7. §. 16. de Synod. Diœc. Benedicti XIV., ubi refert, qualiter ipse an. 1754. ad instantiam Regis Lusitanie cathedram ab insulâ S. Thomæ ad insulam Principis in Africâ, ejusque castrum S. Antonii, prius à Rege civitatis nomine donatam, propter insalubritatem aëris eâ lege transtulerit, ut Episcopi se nominarent utriusque insulæ Episcopos. A mutatione sedis longè distat mutatio ordinaria residentia, quam quidem Episcopus deberet facere in civitate eadem, ubi stat cathedra ejus, can. 20. 21. VII. q. 1.; attamen de privilegio, vel approbatâ consuetudine, vel propter rationes politicas suadentes, interdum dignoscitur esse extra civitatem cathedrallem ; uti Trevirensis olim maximam anni partem in Palatiolo, vulgariè Pfälzel, infra Treviros, aut Wittliaci, resedit, hodie Confluentia ; Coloniensis Bonnæ, Spirensis Bruxaliæ, olim in Tabernis Rhenanis, Rheingabern, Constantiensis Merseburgi, Basileensis Brandruti, Argentinenſis olim in Tabernis Alfatia: interregni magni, aliisque malignis temporibus, ante, & citra, complures civitates, quæ se fecerant immediatas, aut esse tales voluere, ita insultare ceperunt Episcopis suis, ut hi in iisdem ordinariè residere non possent. Quàm horrenda Sæc. XI. Colonienses in Electum Annem II. commiserint, ex Lamberto Schaffnaburgensi, & aliis latè describit Apologia des Erzstifts Eöln pag. 22. & seqq. Qualia corrente Sæculo Spirenses præsumperint contra Episcopum Henricum Hartardum à Rollingen, acta publica docent.

QUESTIO

Ad num. 12. §. I.

An indultum *transeundi* à minore ecclesiâ ad majorem operetur *liberum transitum*, quin opus sit *translatione*, cùm casus indulti aderit, nempè vocatio?

R. Omisfis opinionibus, quas videas apud *Hoftiensem*, *Zabavellam*, *Panovmitinum*, ipsâque *Glossam* in *cap. 4. h. t.* ad verba: *videatur*. & *postulatio* titubantem, tale indultum operatur liberum transitum, suppositâ vocationis examinatione, & approbatione, factâ per eum, ad quem pertinet; ne verbum *transire* sit absque effectu, ipsumque indultum fiat captiosum, & inutile: tali igitur indultario Papa censeretur dedisse clavium, ut claustram vineuli ipsemet aperire, atque abire possit.

Nec dicas 1. Hunc indultarium Episcopum debere tamen *postulari*: ergò & *transferri*; nam *concesso* primo, *nego* secundum: *postulari* debet; quia adhuc est actu alligatus: *transferri* non debet; quia licet ei *transire*; & si nova licentia Papæ requiretur, ad quid *serviisset* prima? *Ais*, ad simpliciter consentiendum *postulationi*: *Replico*, per hoc non exhauriri verbum *transire*, quod significat *pedes* de loco ad locum movere, non *solum affectum*, per quem anima movetur. *Petis*, à quo igitur admitteretur hoc casu *postulatio*? *R. Jure Decretalium*, quo episcoporum constitutio nondum fuit reservata, ab immediato *postulantis ecclesia* superiore, e. g. à *Meropolitanano*, non præcisè à Papâ; quia hic dedit indultario, suppositâ vocationis rectitudine, potestatem expediendi se ipsum à vinculo: hinc d. *cap. 4. in fin.* declarat quidem, per clausulam indulti: *dummodo nihil canonicis obviet institutis*, non solum videri *postulationis* examinationem, sed *persona* etiam *reservari*; sed *impersonaliter* loquitur, nec dicit, *reservari sanctæ Sedi*; quod firmant mox sequentia verba, pari *impersonalitate* concepta: *antequam FER EUM postulatio examinata fuisset, CUI FUERAT FACIENDA, nullâ ratione debuerat TRANSISSE*. An ergò talis indultarius erit similis *illegitimo*, à Papâ ad cape/sendum Episcopatum priùs dispensato? Non, quia ejusmodi indultarius *postulabitur*, ille verò *eligitur*; sed omnis *postulatio* dirigi debet ad Papam! *distinguo*, si nemo impedimentum tollere possit, quàm Papa, secùs, si alius: hic autem *licentia transeundi* eventualis qualificavit indultarium, ut ipsemet impedimentum possit tollere, postquam Ordinarius ecclesiæ *postulantis* dixit, vocationem esse canonicam, & personam dignam.

Nec dicas 2. *Innocentius III.* in *cap. 3. h. t.* loquitur de *Convado*, qui se ab *Hildesimensi* ad *Herbipolensem* transtulerat, tanquam ejusmodi Prælati, cui *translatio*, per Papam *facienda*, fuisset necessaria, & tamen habuit *indultum*

transseundi à Cælestino III.; nam Innoc. III. tunc temporis nihil adhuc severat de isto indulto, quod Conradus, agens adhuc sub Henrico VI. Imp. Cancellarium, cumque eodem propter coronationem profectus an. 1191. Romam, à Cælestino impetrâsse dicitur, & modo in fine cause inter suas executiones coram Papâ produxit. Quanquam illud indultum non esset clarum, ut verbis expressis diceret, Conradum transire posse; sonuit enim referentè cap. 4. sic, quodsi ad majorem forsitan vocaretur dignitatem, eam sibi liceret ASSUMERE, quod verbum Germani exprimunt annehmen, acceptare; cumque talia indulta, utpote ambitiosa, sint strictæ interpretationis, verbum assumere non debuit exponi pro transire: quia tamen ad excusandum crimen adhibebatur hæc indulgentia, non disputavit in cap. 4. Innocentius super intellectu hujus verbi, sed super eo, quod Conradus ad parem, non ad majorem dignitatem transiverit, nec præmitti curaverit canonicam inquisitionem postulationis, personæque postulate: licet FORSITAN ALIQUIBUS videatur, ut INDULGENTIÆ occasione IPSIUS ad dignitatem possit transire MAJOREM; ad PAREM tamen ipsi transire non licuit. Sed quid de virtute talis indulti disceptamus hodie multum? Nemo illud petit, nemo accipit sub hæc formâ: Episcopi, transferri cupientes, procurant sibi Brevia eligibilitatis, scilicet electos, aut etiam postulatos, à Papâ transferri rogant.

§. II.

Translationis effectus.

I. Translatus definit esse Episcopus ecclesiæ à quâ; proinde nullum in ea regiminis actum ex eo tempore amplius exercebit: * econtra Capitulum majus, velut sede vacante, administrationem suscipit.

* Concil. Chalcedon. can. 10. in 2. part. relatâ à Gratiano in can. 3. XXI. q. 2. Siquis jam translatus est ab aliâ ecclesiâ in aliam, nihil habeat commune cum priore ecclesiâ, sive sub hæc ecclesiâ constitutis martyriis, sive in ptochiis, sive in xenodochiis, aut eorum negotiis. Innovavit hunc canonem an. 816. Concilium Aquisgranense cap. 50. Concil. German. edit. nov. tom. 1. pag. 472. Secundum hoc rectè Gratianus in §. Ecce post can. 41. VII. q. 1. docuit, quod, qui translato succedit, non viventi, sed defuncto quodammodo Episcopo probetur substitui; quodcirca proverbialiter dicitur translatus priori ecclesiæ civiliter mortuus esse.

II. Ecquando autem definit? An ad solam translationem verbalem, aut bullarem? An verò post adeptam solummodò Episcopatus secundi pacificam, & fructiferam possessionem? Res olim dubia die 12. Decembris an. 1624. à S. Congregatione Cardinalium sic decisa est: *

* „ Sacra Congregatio illustris Cardinalium, negotiis Episcoporum præposita,
 „ S. D. N. approbante, censuit, Ecclesiam, à quâ volens transfertur, seu,
 „ quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab
 „ illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem
 „ nem literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ, &
 „ posteaquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex
 „ testimonio, seu documento Secretarii sacri Collegii, illic tenevi eum absti-
 „ nere exercitio ordinaria jurisdictionis, eamque transire in Capitulum, tan-
 „ quam sede vacante; & ita posse, & debere Capitulum statim eam jurisdictionem
 „ uti, ac Vicarium, juxta Tridentini Concilii præscriptum, eligere, sedemque
 „ vacantem publicare. Apud Barbosam in Collectan. ad cap. 1. h. t. num. 5.
 Dicitur autem hic expressè: *VOLENS transfertur*; nam translationi non con-
 sentiens potest retinere suam ecclesiam; nisi in casibus, ubi quoque locus
 est translationi alicujus invitæ, sive obedientiali, sive punitoria. Exemplum
 approbatum retenta per integrum annum *Flarentina* ecclesiæ vide infra in
 Consilio 101. *Panormitani* num. 7. Item retinere poterit aliquândiu eccle-
 siam Episcopus, qui alteri Episcopo *Coadjutor datus est cum jure succedendi*; cum
 enim nihilominus in casu vacantis ecclesiæ secundæ vel juri succedendi ex
 Coadjutoriâ renunciare, & in primâ Ecclesiâ remanere possit, vel transla-
 tionem, quæ Coadjutoriæ non inest, petere; deliberandi tempus ei dabitur,
 & necessaria præstandi; ita an. 1729. Archiepiscopus Elector *Trevirensis*,
Franciscus Ludovicus, jam anno 1710. Coadjutor *Moguntinus* electus, post
 obitum Coadjuti *Lothavii Francisci*, qui 30. Jan. contigit, adhuc uno mense
Trevirensis Archiepiscopatum administrare perrexit, donec initio Martii
 eundem dimitteret. *Hist. diplom. Trevir. Tom. 3. pag. 941. not. a.* Hæc
 declaratio proposita est 7. Martii in Capitulo *Trevirensi*, facta aliquot die-
 bus antè solemniter Confluentiæ coram DD. Deputatis Capitularibus ad
 Computus Provinciales, statim, atque Cursor, Romam pro bulla translatio-
 nis ablegatus, inde redux advenerat.

III. Cùm verò sic jure tantùm vacet Ecclesia à quâ, non facto, &
 jure simul, si translationis verbalis, vel bullaris consensu administrare
 eandem usque ad possessionem secundæ Ecclesiæ acceptam de facto
 pergeret; idè in hoc casu observandum esset cap. 28. de præbend. in 6.*

* Nempe Capitulum Cathedrale posset quidem statim ad novam electionem procedere;
 sed electus non posset mitti in possessionem, nisi ad iudicium sanctæ Sedis
 vocato translato, ad effectum evacuandi possessionem; cùm possent subesse
 probabiles causæ, remanendi tantisper in administratione sub fiducia appro-
 bationis Apostolicæ: ita *Rabanus* ab *Helmsstatt* an. 1430. contra *Jacobum à*
Sirek, & *Ulycum à Manderscheid*, in discordiâ electos, à *Martino V. Papâ*
 translativè provisus de Ecclesiâ *Trevirensi*, per obitum beatæ memoriæ *Ot-*
tonis Comitis à *Zygenhain* vacante, mansit in Ecclesiâ *Spirensi*; quia sine

bello contra *Mandevscheidanos*, qui Archiepiscopatum occupaverant, & sine interdicto generali totius Patriæ, pervenire ante an. 1435. ad thronum *Trevirensis* non potuit. Præproperè tunc *Martinus V.* providerat *Spirensi* Ecclesiæ de quodam *Adolpho ab Alemannia*, qui mox sub *Eugenio IV.* acriter institit Romæ, ut *Rabanus* translatus relaxare cogeretur *Spirensis* Ecclesiæ; sed nihil obtinuit, *Rabano* utramque Ecclesiæ usque ad an. 1439., pacificè retinente, quo primùm *Trevirensis*, postea quoque *Spirensis*, senex privatam vitam acturus, erga pensiones resignavit, & teste *Lebmanno* in *Chron. Spir.* pag. 834, eod. an. 14. Nov. decessit. Consilium juris eâ tempestate stiterat pro *Adolpho* prædicto contra *Rabanum* celeberrimi Canonista, *Abbas Pannonitanus*, inter impressa ejus Consilia ordine 101. m. quod, quia ad historiam *Trevirensis* pertinet, effectumque translationis adeò illustravit, ut passim allegetur, quàmvis fortè à paucissimis allegantibus perlectum, infra subjungam, unà cum meâ desuper meditatione.

IV. Translationis de se plenè factæ conscius non solum amittit jus, & titulum in priore Ecclesiâ; sed, juxta principia Italica, multarumque aliarum terrarum, obedientiæ præsertim, ipsam quoque perdit possessionem, tam civilem, quàm naturalem; ita, ut ante captam possessionem secundæ Ecclesiæ nullum speciale Episcopatum possideat.*

*-RIGANTIUS Commentar. ad Reg. 2. Cancell. §. 3. num. 76. post *Hosiensem*, & alios. Cujus rei ratio hæc est, quia qui volens absolutus est à vinculo prioris Ecclesiæ, & volenti secundæ Ecclesiæ copulatus, is per rerum naturam nequit amplius habere animum possidendi primam ecclesiam, tanquam adhuc suam, secus, quàm alius ille, quem Papa vult transferre invitum.

V. Priusquam verò translatio, Romæ in Consistorio facta, innotescat translato, manere apud eum plena possessio potest prioris ecclesiæ; quia animum habere non impeditur istum: *pergam possidere meam ecclesiam, donec intelligam, me esse translatum.**

* Nam sola voluntas translativa Domini Papæ, translato verbaliter nondum intimata, tam parùm aufert ei possessionem prioris, quàm det possessionem secundæ ecclesiæ: quod aufert Papa gratiam petenti, factam ignorantibus translato, vinculum est, non possessio, imò plus dico, nequidem jus, & titulum peragendi omnia Diocesana ante innotescens tempus aufert; jus enim istud aliunde sustinetur, quàm à vinculo, sicut à simili jus administrandi ante contractum Episcopatus vinculum, quod canon ipse, non homo, dedit Electis in concordia, remotis à Curia Romanâ, per cap. 44. de elect. ; sicut quoque administrat Capitulum Sede vacante, & possessionem jurium episcopaliū continuat absque vinculo; ita idipsum poterit absque vinculo Episcopus verbali-

ter Romæ translatus; Et hoc præprimis in principis Romana Curia optimo talo subsistit; cum hæc potestatem Episcoporum illam, quæ jurisdictionis vocatur, & à potestate ordinis contradistinguitur, aspiciat, reputetque, *velut demandatam Episcopis à Papâ*; ejusmodi quippè potestatis genus per revocationem, non intimatam mandatario, non expirat.

VI. Hinc nullatenus assentior Curialistis illis, qui docent, *ignorantem* quoque *translatum*, si modò supplicaverit pro translatione, eo ipso, quòd Romæ peracta sit translatio, *perdere à tempore absolutionis jura*, & *possessionem primæ Ecclesiæ*, ita, *ut non dicatur absolutè possessor*, sed tantum secundum quid, nempe *ad effectum exercendi ea, quæ sunt necessitatis*, & *ad legem jurisdictionis pertinent*; & hæc consideratione cum solummodò habere Episcopatus à quo *retentionem*. *

* Repugnat hæc doctrina supradictæ num. 2. Cardinalium declarationi, etiam postea 20. Martii 1625. per Breve speciale Urbani VIII. roboratæ; quippe quæ translato relinquit *simpliciter*, & sine quavis exceptione, *exercitium ORDINARIÆ jurisdictionis* usque ad notitiam translationis: *ordinaria* autem *jurisdictio* non solum sub, & in se complectitur sic in specie dictam *legem jurisdictionis*, sed etiam *legem diocesanam*, nec solum ea, quæ sunt præcisè *jurisdictionis*, sed etiam illa, quæ sunt *ordinis*, neque etiam solum ea, quæ sunt *necessitatis*, sed etiam illa, quæ *moram* pateventur. In summa: post notitiam modò abstinere debet translatus *ab eo*, quod aliàs exercuit; aliàs exercuit *omne id, ac totum*, quod *Officium*, & *Potestas Ordinarii* complectitur: ergò *ab hoc omni*, & *toto* post notitiam modò debet abstinere. Ex quo concludo, quòd *intra tempus translationis*, & *tempus notitiæ* translatus validè, ac licitè administret primam ecclesiam *in spiritualibus*, ac *temporalibus quibuscunque*, ordines conferendo, dimissorias dando, statuta diocesana condendo, synodos celebrando, sententias, & censuras ferendo, officiales constituendo, destituendo, electiones confirmando, institutiones canonicas dando, contractus nomine suæ ecclesiæ celebrando &c.

VII. Cur autem isti Curialistæ sustinent ejusmodi principia contra communes juris utriusque regulas *de notitiâ*, *ad revocandam potestatem requisitâ*? Ut amplient *Regulam secundam Cancellariæ de beneficiis*, quæ *sedis vacantis* tempore vacant, & *ad dispositionem Episcoporum pertinent*, *reservatis*.

* Volunt enim, ab *ignorante* translato nulliter *conferri beneficia*, quæ post ipsam verum translationis tempus vacarunt. Atque ita constanter respondisse, & judicasse

Romana tribunalia, refert *Benedictus XIV.* in lib. 13. cap. 16. §. 9. *de synodo diocesis.* Cur autem nullitas collationis non inciperet modò à die notitia? Ajunt 1.) Desiit jam à vero tempore translationis esse Episcopus primæ ecclesiæ, quo solo nomine ei competeat hæc collatio beneficiorum! R. Relictum ei tamen est exercitium ordinaria jurisdictionis usque ad tempus notitiæ. Ast 2.) Jus conferendi beneficia non comprehenditur sub generali concessione jurisdictionis! R. Comprehenditur tamen sub officio, & potestate Episcoporum, quatenus sunt Ordinarii locorum: huic Ordinariatu nihil detraxit *Urbanus VIII.* usque ad notitiæ. Ineptè huc trahuntur à *Rigantio* textus cap. 3. *de Offic. Vic. in 6.*, & cap. 3. *in fin. de Prab. in 6.*, per quos Vicarius Episcopi non potest absque speciali commissione beneficia, quorum collatio ad Episcopum spectat, conferre: quanta enim disparitas non est inter jus ordinariatus, & officium Vicariatus? Priori naturaliter inest tota latitudo, tam legis jurisdictionis, quam legis diocesis, quarum prima consistit in dando, Sacramenta, leges, justitiam, gratias, & beneficia, altera in recipiendo emolumenta: beneficia conferuntur ab Episcopo jure Superioritatis, & Jurisdictionis ordinaria, cujus exercitium non expirat ab ipso momento translationis. Dicunt 3.) Capitulum majus sede vacante exercet omnem jurisdictionem ordinariam, nec tamen conferre potest beneficia: ergò collatio beneficiorum nihil commune habet cum exercitio jurisdictionis ordinariæ! R. Non exercet omnem illimitatè; nam & beneficiorum collatio, & innovatio, & quædam alia, Capitulo expressè denegantur: Ast Episcopus pergit illimitatè in omni exercitio suæ potestatis usque ad notitiæ translationis; nec opus est huic aliquid ordinariæ potestatis Episcopalis expressè concedi; sufficit expressè non adimi; consequitur enim omne, non ex speciali lege, sed ex genere confirmationis cap. 9. *de elect.*, & ex ipsâ LEGE JURISDICTIONIS, ad quam, juxta *Glossam* in cap. 15. *de elect.* verbo; *talibus*, non solum pertinet, judicare, excommunicare, corrigere, juramenta recipere à vasallis, confirmare, investire, sed etiam, beneficia conferre: frivolum est, illas duntaxat beneficiorum collationes attribuere legi jurisdictionis, quæ necessitatis sunt, & per modum actionis petuntur ab electis, atque presentibus; nam & gratiosæ collationes consistunt in dando, pertinentque ad generalem providentiam Regiminis Episcopalis. Demùm ajunt 4.) Episcopus per sententiam privatus, etiam ignorans, arctatur à tempore latæ sententiæ cap. 1. *de concess. prab. in 6.* R. Præterquam, quòd hic textus non sit decisivus, sed solius partis allegatio, est disparitas inter vacationem Episcopatus per sententiam privationis, & per translationem: quia quoad effectus sententiæ inspicitur tempus sententiæ, nec curatur absentia, vel ignorantia delinquentis: ast in translato quoad exercitium Episcopalis ademptionem spectatur tempus notitiæ. Hanc questionem agitasse interest etiam ob alios fines Germanorum; licet enim apud eos non teneat *Regula secunda Cancellaria* propter Concordata; lis tamen verti posset inter translatum, & successorem translatis; nam huic aservari deberet beneficium, taliter post translationem, & ante notitiæ ejus, vacans, nisi appertinuisset ejus collatio adhuc ad antecessorem translatum, & ignorantem.

VIII. In Galliâ hoc jure vivitur, ut inibi prima ecclesia non censeatur vacare, nisi adeptâ sit possessio secundæ, & interim Episcopus translatus continuet in collatione beneficiorum primæ Ecclesiæ; * sicut quoque Episcopus, qui renunciavit, administrare dicecesin resignatam pergit, donec successor ejus juridicam possessionem accipiat. **

* RIGANTIUS ad Reg. 2. Cancell. pag. 242. num. 140. Quæ praxis & sapere videtur antiquitatem canonis Chalcedonensis, supra num. 1. relati, & insimul habere æquitatem; cum enim secunda ecclesia beneficia conferre non possit ante ejus adeptam pacificam possessionem, saltem juxta regulam Cancellariæ secundam; æquum est, ut exerceat jus istud cum cæteris juribus in primâ, donec istam gubernare pergit secundum consuetudinem Regni.

** Videntur in hoc Galli leges imitari civiles veteris Romæ; nam & Proconsul usque ad successoris sui adventum omnia egit l. 10. ff. de offic. Procons. & Praefes Provincia non prius imperio privatus erat, quam cum excesserat è provinciâ l. 3. ff. de offic. Praefid. Quam imitationem sicut sequuntur Canonistæ quoad Legatos summi Pontificis, etiam revocationis conscios, ita nil obstat, quò minus eandem laudabilis consuetudo introducere potuerit quoad Episcopos, cedentes, & translatos.

IX. Alter translationis effectus circa fructus versatur, quos Curialistæ translato Episcopo sic attribuunt communiter, ut is à tempore translationis, in Consistorio factæ, licet adhuc ignoratæ, nullos amplius fructus Ecclesiæ à quâ prætereundere possit; e contra, eodem momento incipiat gaudere fructibus Ecclesiæ ad quam, licet nondum possessæ. * Excipiunt verò fructum, quem ajunt, honorificum, conferendi beneficia; nam dimissæ quidem Ecclesiæ beneficia, inquirunt, non conferet, quia nullos fructus ejus percipere amplius potest; secundæ autem Ecclesiæ beneficia nondum conferet, quia obstat regula 2da Cancellariæ; licet enim fructus alios percipere possit, defectu tamen possessionis fructus collationis beneficiorum reservatus manet sanctæ Sedi. **

* Rigantius ad reg. 2. Cancell. §. 3. num. 38. & seqq. dicens, sic observari in Hispaniis, velut principium absolutum. Sequitur Benedictus XIV. lib. 13. cap. 16. §. 7. & 13. de Synod. Verum, sicut in Galliis practicatur contrarium, inspiciturque dies possessionis, respectivè dimissæ, & noviter acceptæ; ita in Germaniâ nostrâ, quæ propter raritatem casus nequit allegare
continua

continuum observantiam, putem, rationabilius fore, quod fructus definant, & incipiant à desitione, & inceptione *exercitii cura Episcopalis*; nam beneficium datur propter officium: & cur successor haberet sibi fructus, quos non promeruit? *Utriusque* verò *Ecclesia* dotem, & fructus simul percipi, fateor, non convenire. Vide tamen eund. *Benedictum* XIV. loc. cit. ad §. 14. 15. 16. 17., ubi *Poloni* episcopi, ad translationem à Rege nominati, per Decretum *Urbani* VIII. d. d. 23. Decembr. 1624. sic rem instituere possunt, ut *quatuor mensibus* utriusque *Ecclesie*, à *quâ*, & ad *quam*, fructus percipere valeant usque ad secutum translationis articulum.

* A fructibus *corporalibus* ad collationem beneficiorum, velut *speciem quandam fructus*, formant DD. communiter argumentum; quod secutus est etiam *Gregorius* XIII. apud cit. *Rigantium* num. 42., declarans Episcopum, à *Terulensi* *Ecclesia* ad *Casar-Augustanam* translatum, nulliter contulisse parochiam, quæ *biduo* post, quam ipse in *Consistorio* fuerat à vinculo *Terulensi* *Ecclesie* absolutus, vacaverat, ex ratione, quia *notoria consuetudo Hispaniarum* sit, quod *Episcopi* statim *expeditis literis translationis* incipiant *gaudere fructibus Ecclesie ad quam*: magis, & melius tamen puto, in *Episcopis* (quidquid sit de *Patronis*, & *Turnavitiis*) provisionem beneficiorum referri ad *Magistratum, Praefecturam, & sollicitudinem* eorundem, ne beneficia diu careant suis ministris: certè *Apostolus* non intendebat *fructum* *Episcopatus*, sed *onus cura*, dum scripsit *Tito* suo cap. 1. v. §. HUIUS REI GRATIA *reliqui te Creta, ut ea, quæ desunt, CORRIGAS, & CONSTITUAS per civitates PRESBYTEROS*: conjuncta hæc sunt *corrigere, & Presbyteros constituere*; primum non est *fructus*, sed *cura*; ergo nec secundum: *sequiora* duntaxat *tempora* reputarunt collationes beneficiorum episcopales inter *fructus, & reditus* *Episcopii*.

X. Licetne autem Episcopo translato *secum asportare opes, ex relicto episcopatu collectas*? Hæc facio distinctionem: opes *sui peculii*, quod vocant *Deputatum*, potest: opes *Camera Episcopalis* non potest: sicubi autem moris est, ut in dispositione Episcopi sint *omnes proventus episcopales*, quin *Camera Episcopatus* aliquid speciale habeat, censeo, quod Episcopus translatus quidem opes ejusmodi *secum transportare possit*; at, *cum animo*, eas in brevi *dispensandi in causam piam Ecclesie à S^c ex quâ*.*

* Hæc decisio pendet ab illâ questione præjudiciali, *qualiter opes Episcopatus sint Episcopo concedita per S^c. Canones*; super quo vide dissertationem meam de *Episcoporum testamenti factione activa* an. 1761. §. 12. 13. 15. Sicut tamen Episcopus, *simpliciter* ob utilitatem *Ecclesie resignans*, pro suâ honestâ su-

stentatione secum asportare potest collectas opes, suæ dispositioni committas; ita quoque transibit, ut Episcopus translatus, *quatenus ad initium alterius Episcopatus ex propriis fortè auspicandum indiget*, tantum suis usibus applicet, quantum necesse est, donec queat *ex novo Episcopatu* vivere. De hac materiâ consule diffusiores P. *Reiffenstahl* ad hunc tit. à num. 44. usque ad fin., ubi tamen non quælibet gusto. Adde *Veranum* ad eund. tit. §. 2. num. 9., ubi suadet, ne asportentur. De *Regulari*, ab uno Episcopatu translato ad alium, cui talis relinquere debeat opes, ex Episcopatu primo collectas, refert, an *Ecclesia*, an *Ordini*, acquirat iste superflua sui Deputati, quæ disquisitionis præsentis institui non est.

XI. *Tertius translationis effectus est reservatio Ecclesie à quâ ad dispositionem sanctæ Sedis, ita, ut pro eâ vice Capitulo cathedrali non competat libertas electionis.* *

* *Extravagans ad regimen* de Præb. int. commun. per verb. *seu translationem*. Et quoniam hæc reservatio incorporata est *Concordatis Germania*; ideo ligat Capitula nostra illa, quæ simpliciter acceptarunt Concordata; secus, quam Rmum, & Illmum Capitalum Metropolitanum *Treverense*, utpote quod antiquam suam libertatem adversus reservationes studiosè tuebatur: hinc in prædicto casu translationis anno 1729. liberè, & sine quovis indulto Apostolico processit 2. Maji ad novam electionem, cujus terminum præfixerat ipso infinuata dimissionis die, videlicet 5. Martii.

CONSILIUM CI.

Nicolai de Sicilia Abbatis Monacensis, qui vulgò appellatus est Panormitanus, edit. Lugdun. de an. 1512.

FACTUM,

1.) Super quo Consilium petitur, in terminis infra scriptis proponitur. Videlicet Episcopus *Spirensis*, ad ipsius *postulationem, & instantiam*, translatus extitit per *Martinum* Papam V. ad Sedem *Treverensem* Archiepiscopalem, eo prius, ut moris, & juris est, *absoluto à vinculo Spirensis ecclesie*, cui erat obnoxius, & *de ecclesia ut vacante per translationem præfactam* provisum fuit per eundem *Martinum* viro illustri, Domino *Adolpho de Alamanniâ*, nunc in *Decretis licentiat*. Denique *post dictas provisiones* dictus translatus ad ejus postulationem obtinuit per eundem Romanum Pontificem *Pallio Archiepiscopali* decorari. Postremò contigit, dictum translatum *nequivisse dicti Archiepiscopatus corporalem possessionem nancisci ob cujusdam resistantiam, qui se de facto Archiepiscopatus intrusit*; propter quod dictam Ecclesiam *Spirensis* nititur, ut

prius, obtinere, contradicente dicto Domino Adolpho, & dicente, dictam
Spirensis Ecclesiam sibi de jure, tanquam de eâ legitimè proviso, relaxandam.

Queritur, quid Juris?

Rationes dubitandi.

Salvatoris Jesu Christi, ejusque gloriosissimæ Matris præsidio ex corde humiliter i-
vocato,

2. Videtur primò) Dictum translatum minimè de jure arcendum fore ad relaxa-
tionem Spirensis Ecclesie, nisi prius corporalem possessionem Ecclesie Treverensis
pacificè obtineat, vel per eum stet, quòd minùs ipsam possessionem nancif-
catur. Ecclesia enim prima vacat per translationem ad secundam, ut in
cap. 2. de transl. Prælat., & cap. bonæ 2. de postul. Prælat., & causâ
XXI. q. 2. can. Si quis jam translatus. Sed non dicitur quis propriè trans-
latus, nisi primò habuerit possessionem secunda Ecclesia, ut dicit Glossa nota-
bilis in dict. can. Si quis jam translatus. Facit optimè cap. Cum in cunctis
§. Cum verò de Elect. Ergò non debet iste, verbo translatus, constringi ad
priorem ecclesiam dimittendam, nisi primò nanciscatur corporalem possessionem
secunda.
3. Secundò.) Principaliter videtur probari per textum notabilem, maximè junctâ
Glossâ, in can. Siquis dist. 92., ubi dicitur, quòd *siquis fuit Episcopus ordi-
natus, & non recipitur ab ecclesia, ad quam ordinatus extitit, non debet abjici
à priori dignitate, etiamsi interim fuit alteri collata, secundum Glossam ibi
notabilem, quæ addit ad illum textum hoc vel maximum argumentum dicti
cap. Cum in cunctis, & can. Eos VII. q. 1., & l. ult. C. de repud. hered. Et
ponderandum, quòd textus ibi loquitur, etiamsi primum beneficium foret di-
gnitas: igitur idem dicendum in casu nostro: videtur ergo ibi casus, junctâ
Glossâ, de quæstione nostrâ.*
4. Tertio optimè facit in argumentum cap. Si beneficia de præb. lib. 6., ubi habe-
tur, quod, si quis dimisit beneficium suum propter aliud sibi collatum,
quod postea reperitur alteri debitum, potest repeti, dummodo secundum
alteri debitum, sine difficultate dimittat: ecce ergò, quòd beneficium alteri
legitimè collatum, potest repeti, ex quo secundum non potest legitimè re-
tineri. Idem ergò dicamus in casu nostro, ut non obstante provitione, Do-
mino Adolpho factâ, possit translatus retinere Ecclesiam, scilicet Spirensis,
ex quo non potest secundæ Ecclesie possessionem apprehendere.
5. Videtur enim translatus, & absolutus à vinculo prioris ecclesie sub quâdam taci-
tâ conditione, scilicet, si possessionem secundæ ecclesie potuerit adipisci.
Arg. dict. cap. Si beneficia; cum enim
6. Hæc translatio fuerit in favorem dicti translati facta, non debet in ejus læsionem,
& diminutionem honoris redundare. Arg. in regulâ: Quod ob gratiam de
R. J. lib. 6., & l. Quod favore C. de LL. Facit, quod in simili notat Joan.
monac. in cap. generali de elect. lib. 6., cujus dictum retulit Joannes Andr.

nec illud reprobavit, in dict. regulâ, quod ob gratiam, in mercurialibus; dixit enim, quod, si Papa aliquem Episcopum transtulit in Sedem Archiepiscopalem, eo prius à vinculo prioris ecclesie absoluto, quod Episcopatus non vacat illic per illam absolutionem, & translationem, sed incipit vacare, postquam Episcopus translatus præsinit consensum; quia videtur sub tacitâ conditione absolutus, scilicet, si consensum præstiterit; & reddit rationem; quia, cum hæc translatio fiat in illius favorem, non debet in illius læsionem redundare.

7. Idem consuluerunt Dom. Franciscus Zabarella, Cardinalis Florentinus, & multi alii Doctores in causâ *Episcopi Florentini*, quem Papa, eo absoluto à vinculo Episcopatus, promovit *absentem* in Cardinalem; concluderunt enim, episcopatum non vacare, nisi à tempore, quo dictus Episcopus præstitit consensum; & ob hoc ille Episcopus ante consensum præstitum administravit in episcopatu ferè per annum. Idem dicendum in casu nostro, ut dicta translatio, & absolutio videantur factæ sub tacitâ conditione, scilicet, si possessionem secundæ ecclesie potuerit adipisci; cum tunc dicatur propriè translatus, ut notatur in d. cap. *Si quis jam translatus*; aliàs cederet translatio in ipsius læsionem, quod non est dicendum.
8. Quarto faciunt ad hæc partem multa jura, quæ per ademptionem secundî beneficii incompatibilis inducunt vacationem primi, non à tempore provisionis secundî, sed post habitam pacificam, & corporalem possessionem illius, ut in cap. *licet Episcopus* de præb. lib. 6., & Clem. *Si plures* eod. tit., & cap. *commissa* de elect. lib. 6., & d. cap. *Siquis jam translatus*, junctâ Glossâ cum similib. Et videtur de casu nostro textus quasi expressus in cap. *Cum à cunctis* præallegato in §. *Cum verò*, ubi ponitur, quod beneficia electi, & confirmati in Episcopum non vacant, nisi post plenam translationem ad episcopalem, quæ causatur per consecrationem, & corporalem possessionem, ut ibi; ecce ergò, quod beneficia incompatibilia cum Episcopatu non vacent per solam provisionem de Episcopatu, sed oportet etiam, quod prius habeatur corporalis possessio ipsius Episcopatus: ergò idem dicendum in casu nostro; quamquam enim duo Episcopatus sint in eadem personâ de jure communi incompatibiles XXI. q. 1. *Sicut in unâquaque*, & VII. q. 1. *sicut*; tamen non dicitur in effectu induci vacatio primi, nisi post habitam possessionem secundî; & quod ille textus procedat in duobus Episcopatibus, videtur tacitè velle Glossâ in cap. *relatio* XXI. q. 1., quia in duobus Episcopatibus allegat illum textum.
9. Nec obstat, si dicatur, quod ex hoc contingeret, *illum translatum habere duos Episcopatus eodem tempore*; quia non videtur absurdum, quod primum habeat habitu, & actu, & secundum habeat respectu tituli, ex quo non potest ipsius corporalem possessionem habere, ut probatur in cap. *pastoralis* VII. q. 1., ubi textus ad hoc notabilis.

Decisio.

10. Sed prædictis non obstantibus, quæ casui nostro minimè favent, *contrarium*

arbitror, de jura procedere; puto enim, illam Ecclesiam Spirensis simplicitate vacasse per absolutionem, & translationem prius factas, & de eâ fuisse dicto Domino Adolpho legitime provisum, & per consequens dictam translatum fore juris remediis compellendum ad Ecclesiam Spirensis liberè relaxandam, per dictum Adolphum gubernandam, & disponendam, ut per verum ipsius Ecclesie Pastorem.

Rationes decidendi.

11. Moveor primò in hanc sententiam per illam juris regulam: *quicumque vult consequens, videtur velle antecedens*, ut in cap. *cum M.* de constit., & l. *illud ff.* de acquir. hered. Cap. *ex parte* de Sponsal. Cap. *prudenciam.* Cap. *prætereà* de offic. deleg., & l. *ad legatum,* & l. *ad rem mobilem ff.* de procurat. Sed olim Episcopus Spirensis INSTITUIT apud Dominum Papam, ut sibi *providetur de Archiepiscopatu Treverensi*: ergò videtur voluisse, & consensisse, ut ante omnia absolveretur à vinculo, quo Ecclesie Spirensis tenebatur; non enim poterat de jure etiam verbo transferri ad aliam Sedem, nisi prius absolveretur à priori;
12. Et ita etiam est *de more Romane Curie, ab antiquo servato*, ut probatur in d. cap. 2. de *translat. prælator.*, & cap. *bona 2.* de postul. prælator. Joan. monac. in d. cap. *generalis*, & Joan. Andr. in dictâ regulâ, *quod ob gratiam*, in principio questionis. Cum ergò fuerit suo consensu ab illâ priori ecclesiâ absolutus, & sic per consequens vacaverit, VII. q. 1. *sicut et primo & 2. §. ecce*, non potest per casum de facto supervenientem ipsam priorem ecclesiam retinere, præsertim post provisionem alteri factam; quia renunciantibus jura sua, expressè, vel tacite, non datur ad illa regressus, nec est locus poenitentiae, ut in cap. *quàm periculosum VII.* q. 1., & cap. *ex transmissa* de renunciat., & cap. *ex ore* de privil., & *actio semel extincta non reviviscit*, de Consecr. dist. 4. *quavis*, & l. *qui res §. aream ff.* de solution.
13. Nec potest dictus translatus allegare, quòd huic actui consenserit *sub tacitâ conditione secunde ecclesie adipiscenda*; tum, quia isti actus spirituales non recipiunt conditionem, ut in cap. 2. de *elect. lib. 6.*, & in Regulâ, *actus legitimi* de R. J. lib. 6., & qui renunciat beneficio, debet purè, & omninò renunciare, ut in cap. *ex parte 2.*, junctâ Glossâ, *de offic. deleg.*, tum, quia nullam conditionem expressit, quando per se, seu per alium, instituit apud Papam Martinum, ut de Archiepiscopatu sibi provideretur: ergò nulla conditio debet subintelligi, ut in cap. *un. in fin. XXXIII.* q. 8., præsertim in materia nostra, quæ de se naturâ debet esse pura, & simplex, nec conditio mente retenta relevat, ut in l. *si repetendi causa C.* de condict. ob caus.
14. Prætereà nullum juris refugium potest dictus translatus in hoc reperire, *cum pallium archiepiscopale obtinuerit*, quod non solet per Ecclesiam Romanam tradi, nisi fortiter, & sæpe postulanti, ut in cap. *prisca 100.* dist., & notatur in cap. *significasti* de elect.: ergò consensit absolutioni, prius de eo facta quoad Ecclesiam Spirensis, præsertim, *cum pallium postulaverit post provisionem*

factam de Ecclesiâ Spirensi Domino Adolpho: unde per hunc actum, Archiepiscopo convenientem, videtur apertissimè consensisse, non solum *absolutioni prius factæ*, sed etiam *provisioni Domini Adolphi*: argumentum optimum in d. cap. *ex ore* de his, quæ fiunt à maj. part. capit., & cap. *sollicitudinem* de appel. & l. *ubi repugnantia* ff. de R. J., & cap. *cùm M.* de constit. Vacavit ergò dicta *Spirensis* Ecclesia per illam translationem, modo prædicto factam purè, & absolute.

15. Et hanc partem apertè sensit Joan. Monac., si benè ponderetur, in dicto cap. *generali*, & Joan. Andr. post eum in d. Regulâ, *quod ob gratiam*, dum dicunt, quòd, si Papa transfert *absentem*, etiam *favore persone*, non vacat primus Episcopatus, nisi à *tempore consensûs præstiti per translatum*: in casu autem nostro dictus translatus pluries consensit, ut patet ex prædictis. Idem videtur sensit Egidius Cremon. in suâ disputatione, ut refert Joan. Andr. in dict. regul., *quod ob gratiam*, qui *plus dixit*, videlicet, quòd primus episcopatus vacabat illicò post translationem per Papam factam, *non expectato translati consensu*, quia illius consensus dependet à voluntate Papæ: facit VII. q. 1. *Scias*. Et Joan. Andr. videtur ibi apertè approbare vacationem, *saltem eo casu*, quo episcopus fuit *postulatus per Capitulum* in Archiepiscopatum, & ipse, *licet non consenserit*, tamen *non contradixit*, sed voluntati Domini Papæ se submitit; secutâ enim translatione per Papam de absente, firmat Joan. Andr., quòd illicò vacavit Episcopatus, cùm non fuerit facta omninò sine suo consensu: multò ergò magis debuit illicò vacare Episcopatus *Spirensis* in casu nostro per illam translationem verbotentis factam, cùm dictus Episcopus *Spirensis* apertè illi consenserit à principio, & pallium petendo, & *fortiter instando pro suâ provisione*: ergò per prædicta apertissimè videtur iste casus decisus in favorem Domini *Adolphi* provisii.
16. Nec obstat, si dicatur, quòd dictus translatus remanet sine episcopatu, tum, quia imputandum est sibi, *quasi hoc quasivit*; potuit enim ab initio cogitare, quòd *istud impedimentum evenire poterat*. Arg. bonum in l. *Siquis domum* ff. locat., præsertim, cùm à parte intrusi diceretur palàm, quòd alius præter illum intrusum non esset petens ad possessionem Archiepiscopatus habendam; tum, quia non omninò dicitur sine Archiepiscopatu; quia, *qui actionem ad rem consequendam habet, ipsam rem habere videtur*, l. *qui actionem* de R. J. Agat ergò juris remediis ad possessionem nanciscendam, & relaxet episcopatum, quem *sine aliquo titulo* possidet, ut ex prædictis clarè constat.
17. Item, cùm dictus Papa ex certâ scientiâ de Episcopatu *Spirensi*, tanquam vacante, providisset dicto Domino *Adolpho*, non erat locus dispositioni cap. *cùm in cunctis* §. *cùm verò* præalleg., præsupposito, sine veritatis præjudicio, quòd illud cap. haberet locum in *pluribus episcopatibus*; videtur enim Papa, non expectando, quòd *secundi Episcopatus haberetur prius possessio*, dispensare voluisse per contrarium actum contra illius juris dispositionem, ut in l. *idem Ulpianus* ff. de excus. tut., & quod notat Bartol. in l. *quidam consulebant* ff. de re judic., & Innoc. in cap. *veniens* de fil. presbit.,

& Hostienſis in cap. *diverſis fallaciis* de cleric. conjug., & Bald. in repetitione l. *Barbarius* ff. de offic. praef., in quibus iuribus communiter legitur, & notatur, quòd Princeps, agendo actum ſcienter contra legem, videtur circa illam diſpenſare; conſtabat autem in caſu noſtro de certa ſcientia Papa; quia priùs ipſe Spirenſem Episcopum abſolvit à vinculo ipſius eccleſiæ, & de illà eccleſià, factò ejus vacante, providit Domino Adolpho: unde in factò proprio non poteſt, praefertim in Principe, niſi ex certa ſcientià praefumi, ut in clem. de prob. cum ibi notatis. Facit, quod notat Gloſſa in clem. 1. de jud., & in clem. *pastoralis* §. *prætereà* de offic. deleg., & per Innoc. in cap. *ſtatutum*, quod olim incipiebat: *praefertim*, de praefcript. lib. 6. Papa autem potuit per illum abſolutionis actum puram indicere vacationem per id, quod Gloſſa ſingularis notat in cap. *per principalem* IX. q. 3. Videtur autem voluiſſe, ex quo poſt illum actum proceſſit ad providendum de illà, tanquam vacante, dictò Dom. *Adolpho*, arg. in l. *labeo* ff. de ſupell. leg., & cap. *dilecti* de appel., & XI. q. 3. *exiſtiant*; ſciebat enim Papa, quòd de eccleſià purè non vacante, maxime episcopatu, non debet fieri alteri proviſio, cum immineret ibi, *adulterium ſpirituale* VII. q. 1. *ſicut*, & XXI. q. 2. *ſicut in una*. Et huic concluſioni clarè aſſiſtit Joan. Andr. in cap. *ex ore* de his, quæ ſunt à maj. part. capit. ſuper verbo: *confirmatus*, in ultimà ſolutione, cum dicit, quòd ibi fuit collata Præpoſitura electi in Episcopum, & confirmati, ante conſecrationem, ex certà ſcientià Papa; idèd valuit collatio, non obſtante, quòd tempus conſecrationi præfixum lapſum non eſſet; quia videtur ſuper illud jus diſpenſaſſe. Arg. cap. *propoſuit* de conceſ. præb., quod eſt notabile. Ita dicendum in ſimili, *praſuppoſito*, ſine veritatis præjudicio, quòd primus Episcopatus purè non vacaſſet ante adeptam poſſeſſionem ſecundi, tamen, ex quo Papa ſcienter de primo Episcopatu priùs providit alteri, tenet proviſio, nec debet ex factò ſuperveniente ipſius effectus impediri; cum jam matrimonium ſit initiatum, & confirmatum inter Eccleſiam Spirenſem, & dictum Adolphum, de transl. prælator. cap. 2. in fin., & cap. *cum inter* de elect. cum ſimilibus.

18. Ultimo, pro Dom. *Adolpho* faciunt omnes juris regulæ; certum eſt enim, ex quo Papa ſcienter abſolvit Episcopum Spirenſem à vinculo, quo ipſi Eccleſiæ erat adſtrictus, fuit ipſa Eccleſia Spirenſis ſoluta prorsùs à lege ipſius Episcopi; quare merito potuit cuicumque nubere. VII. q. 1. §. *ecce*, & cap. *ſicut*, & de ſecund. nupt. cap. *penult.* & *ult.*: ergò prorsùs ſine titulo tenet nunc dictam Eccleſiam Spirenſem occupatam. Et, ſi diceremus contrarium, ſequeretur abſurdum, quòd idem eſſet archiepiscopus, & Episcopus diverſarum Eccleſiarum, & ſic læderetur ſpirituale matrimonium, quod inter Episcopum, & Eccleſiam contrahitur, in cujus ſignum defert annulum, ut notatur in cap. *clerici* de vit. & hon. cleric., & VII. q. 1. *ſicut*, & cap. 2. de transl. præl.

19. Nec obſtat cap. *pastoralis* ead. cauſ., quod in contrarium allegatur; ibi enim Papa ex certà ſcientià contulit Episcopatum expulſo à propria ſede, nulli alii debitum; poteſt enim Papa, ex certà ſcientià, & cum cauſa cognitione, uni

duos episcopatus conferre, ut est textus notabilis in cap. *relatio* præalleg. XXI. q. 1. Sed in casu nostro *Papa non contulit isti translato de novo Spirensi Ecclesiam*; imò illum *absolvit per prius à jure illius Ecclesie*.

20. Præterea Ecclesia *Spirensis* fuit alteri collata, scilicet dom. *Adolpho*; unde, cum alteri sit desponsata, non debet per ipsum translatum ut scortum sine aliquo titulo detineri contra dictum cap. *sicut*; committitur enim *adulterium spirituale*, cum alterius Ecclesia injustè detinetur, sicut cum alterius conjuge committitur *adulterium carnale*, dict. cap. *sicut in unâ* XXI. q. 2. cum similibus. Fundata est ergò evidentissimè ex præmissis Dom. *Adolphi* electi *Spirensis* intentio.

Ad rationes dubitandi.

21. Restat nunc, ut ad ea, quæ supra in diversam partem adduxi, respondeamus; ad quæ, si præmissa diligenter ponderentur, facillima erit responsio. Et primò dum dicitur, quòd non dicitur quis *plene translatus*, antequàm possessionem corporalem nanciscatur per dict. cap. *siquis jam translatus*, respondeo, quòd *proprie dicitur plene translatus*; cum vacatio *Spirensis* Ecclesie fuit inducta per absolutionem priùs à *Papâ*, ipso *Episcopo Spirensi consentiente*, factam, ut supra dixi, præterim, cum post provisionem dom. *Adolphi* factam *instantè pallium archiepiscopale petierit*, quòd in pontificalis officii plenitudinem cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur, ut in cap. *nisi de auth. & ul. pal.*, & cap. *quod sicut de elect.*, & sic apertissimè approbavit translationem de eo factam, & absolutionem præcedentem, ac provisionem dom. *Adolphi* inde secutam.

22. Non obstat secundum motivum de cap. *siquis* 92. dist.; loquitur enim, non in *episcopo translato*, sed in *noviter ordinato*, qui non debet abjici à priori dignitate, si non potest possessionem episcopatus nancisci; hoc enim juris est, ut probatur cap. *cum in cunctis* §. *cum verò* de elect., licet interim fuerit sua prima dignitas alteri collata, ut dicit ibi *Glossa*, quòd intelligo, quando præter consensum ipsius fuit alteri collata, antequàm possessionem episcopatus haberet, quòd iurè contra cap. *cum in cunctis* præallegatum. Secus enim puto, si suo consensu fuisset alteri collata; quia tunc propter *vestimentiam supervenientem* non debet prima collatio legitimè facta retractari, per id, quòd habetur in cap. *post electionem* de concess. præb. junct. *Gloss.* 1., & dict. cap. *ex ore.*; facit regula: *factum legitimè*, & regula, *scienti, & consentienti* de R. J. lib. 6. Et diversitatis ratio inter *minora beneficia*, quæ priùs obtinebantur, & *episcopatus, priùs habitos*, est; quia *minora beneficia* non vacant per provisionem factam de *episcopatu*, nisi priùs *plenum jus* consequatur provissus, seu electus, ut puta, quòd fuerit consecratus, vel lapsus sit tempus de consecrandis episcopis, & possessionem corporalem episcopatus fuerit nactus, ut probatur in d. §. *cum verò*; hinc meritò, si non potest habere possessionem episcopatus, non debet deijci à priori dignitate, ut in d. cap. *siquis*, cujus adhuc titulum obtinet. Sed in casu nostro ante translationem fuit inducta

ducta vacatio *Spirensis* Ecclesie per absolutionem à Papa factam, & per ipsum Papam fuit alteri, scilicet Dom. Adolpho, facta provisio, quæ quidem vacatio non desinit esse propter resistantiam de facto contingentem circa Sedem *Treverensem*, nec collatio, seu provisio alteri facta debet retardari, seu cassari, cum hoc nullo jure caveatur. Præterea in *minoribus beneficiis* prius habitis non est necesse, quod prius interveniat absolutio; quia cum illis non contrahitur strictè matrimonium spirituale, ut notatur in cap. *clerici* de vit. & hon. cleric. & cap. *fin. de postul. pralat.*; unde non est inconveniens, quod habens beneficia minora promoveatur, *illoꝝ titulo durante*, ad episcopatum; cum etiam post episcopatum adeptum possit episcopus ex causâ acquirere de novo minora beneficia, juxta id, quod legitur, & notatur in cap. *cum nostris* de concess. præb., & in cap. *postulasti* eod. tit., & in cap. *cum in ecclesiam* de præb. lib. 6. Sed episcopus non potest alium episcopatum acquirere de jure communi, nisi prius à priori absolvatur; quia cum sit persona ecclesiastica matrimonialiter obligata, non potest, *durante priori vinculo*, consentire alteri matrimonio spirituali, aliàs contingeret adulterium spirituale, ut in d. cap. *sicut* de transl. prælat., & cap. *bonæ* 2. de postul. prælat. per tot., merito *de jure*, & *more Romana Ecclesie* est transferendus ad aliam sedem, absoluto prius eo à priori vinculo, dicto cap. 2. de transl. prælat., & cap. *bonæ* cit.; notant Joan. Monac., & Joan. Andr. in locis superius præallegatis.

23. Et per hoc est etiam responsum ad cap. *cum in cunctis*, & ad alia jura, quæ inducunt vacationem priorum beneficiorum per ademptionem corporalem secundi, & non prius; loquuntur enim in *inferioribus beneficiis citra episcopatum*, à quibus non est necesse absolutionem facere, ratione prædictâ; secus, ubi prius intercedit absolutio, & per consequens vacatio; frustra enim expectatur corporalis possessionis adeptio; cum absolutio facta sit per prius ante translationem, etiam verbalem; & hoc videtur in se clarissimum, & omni rationi consentaneum.
24. Et, ut clarius hoc liqueat, videamus unum simile in matrimonio carnali; pone enim, quod sponsus de præsentis matrimonio, non consummato, facit professionem in manibus alicujus Abbatis, & sic matrimonium fuit solutum per cap. *ex publico* de convers. conjug.; demùm monasterium resistit de facto illius receptioni; unde non vult illum monasterium recipere; dicimusne, quod iste, qui jam professus est, monachus possit per hanc resistantiam facit priorem conjugem repetere? præsertim, si alteri post istius professionem fuit nupta? certè nemo ita supinus hoc diceret; fuit enim illa sponsa soluta & lege per professionem istius; hinc meritò non debet primum matrimonium reintegrari sine novo consensu, præsertim impediente professione: ita dicendum in hoc matrimonio spirituali, arg. cap. 2. de transl. prælat.
25. Per hoc etiam est responsum ad *Glossam* cap. *relatio*, quæ tamen intellecta, ut jacet, facit pro conclusione prius factâ; voluit enim eo ipso, quod quis

convolat ad fecundum episcopatum, vacet primus; quod tamen procedit, ut supra dixi.

26. Ad cap. *si beneficia* potest responderi, quod loquitur, quando quis *iustâ ignorantia ductus* acceptavit beneficium alteri debitum, cujus contemplatione dimisit proprium; unde, ne sit omnino sine beneficio, & ne iusta, & probabilis ignorantia sibi noceat: emanavit *ex maxima equitate contra vigorem*, ut ibi notatur, illius cap. dispositio, ut possit ad primum, dimisso sine difficultate secundo, redire. Sed in casu nostro aliud est; quia *Ecclesia Trevirensis non est alteri debita, sed est istius translata*, licet *de facto possessionem corporalem habere non possit*: instet ergo, ut illam habeat: unde non remanet sine titulo suo, imò illam ecclesiam habere videtur, ex quo ad illam consequendam actionem habeat, d. l. *qui actionem habet* ff. de R. J., & quia, ut dixi, potuit *verosimiliter cogitare, hoc evenire potuisse*, idè non debuit *instare, nec provisionem alteri factam approbare, petendo pallium instanter*, ut supra plene dictum est. Et per hoc patet ad omnia contraria responsio.

27. Concludo ergo ex omnibus prædictis, *Ecclesiam Spirensis de jure relaxandam liberè & absolute dicto Dom. Adolpho, de eâ proviso, & minime tenendam per QUONDAM Episcopum Spirensis translatum, quamquam Ecclesia Trevirensis possessionem, propter facti resistentiâ, minime consequi possit.* Laus Deo. Nicolaus Abbas Sicul. Panormit.

Meditatio in hoc Consilium.

Equidem Rabanus Spirensis, tanquam *verus Piscator Romanus* in turbido Trevirensis electionis discordis, adhibens insuper laicas Electoris Palatini Ludovici ad Papam instantias, in senectute illâ suâ tam imbecillus ad regendum, quàm in juventute, ac virilis ætatis vigore strenuus, nullâ proin Ecclesiæ Trevirensis utilitate exigente, sed purè *ob favorem personæ*, vel potius *Electoris eam commendantis, contra antiquam Ecclesiæ Trevirensis libertatem*, provulsus, atque translatus, meritò hoc tulit infortunium, ut periclitaretur aded de *Spirensi* Episcopatu, quem per senilem avaritiam, & puram ambitionem, majoris in Ecclesiâ, & Imperio gradûs emolumenta quærens, spreverat; atque ut inter duo sedilia, sicut est proverbium, subideret; quia studiosè quæsit, quod per Ss. Canones quærere non debuit, & in iis circumstantiis quæsit, ubi difficultatem obstaculi, sùtque receptionis actu vidit, factione Manderfcheidianâ Episcopatus terras jam occupante: unde per hanc fatalem piscaturam intulit *Trevirensi* Ecclesiæ ingentia damna, ejus ab optimo Patre *Ottone* congestæ opes postea direptæ, debita enormia contracta, Metropolis, Confluentia, oppida, castella, hostiliter invasa, religio per generale interdictum, ferè quadriennale, interrupta, excommunicationes, & privationes beneficiorum subsecutæ, cum perturbatione totius Status Treverici, fuerunt. Vide *Hist. dipl. Trevir. tom. 2. pag. 375., & seqq.*, nec non *Provinciæ tom. 2. pag. 848., 1116., 1202., & seqq.* Equidem non non minùs verum est, quòd tam *Eugenius* Papa IV., quàm *Basileense* Cor-

Concilium generale, Rabanum velut translatum tunc, & olim Episcopum Spirensem, intulerint; cit. Hist. diplom. pag. 375., & 683.; imò verò Eugenius in suis, ad omnes S. R. I. Electores anno 1433. datis encyclicis posuerit: Rabanum indubitatum Ecclesia Trevirensis Antistitem esse, certum est; Continuator Baronii tom. 18. pag. 111. num. 7. Attamen tum temporis, & quando Panormitanus hóce Consilium juris dederat, id quod primis Eugenii annis contigit, poterat totam ejus fundamentum hoc enthymemate everti: Rabanus nondum est canonicè translatus: ergò Ecclesia Spirensis nondum est soluta lege ejus. Antecedens non solum inde probatur, quia nulla fuit causa canonica transferendi Rabanum, imò contraria; sed etiam ex eo, quia canonicè translatus non est, qui nec erat ab Ecclesia ad quam canonicè vocatus, nec post Papalem provisionem acceptatus. Trevirensis Ecclesia vocaverat per majora, & saniora Jacobum à Sirck, virum meritissimum, cujus electio nec vitium forma habnerat, nec persona; de quo ipsemet Eugenius IV. an. 1442. ad Rabanum scripsit: considerantes nobilitatem generis, elegantiam morum, & alia multiplicia dona virtutum, quibus personam dilecti filii Jacobi de Sirck, Præpositi Ecclesia Herbipolensis, de Baronum genere procreati, notarii, & cubicularii nostri, largitor eorum Dominus insignivit, & cogitantes, quòd ipse Jacobus ALIAS FUIT ELECTUS ad Ecclesiam Trevirensis MAJORI PARTE CAPITULI TREVIRENSIS, (erant 14. Capitulares, inter quos solum 2. elegerant Ulricum à Manderscheid) & PROPTER translationem tuam ad eandem Ecclesiam (Tò propter arguit jam ante neglectum electionis hujus canonice exitisse in pectore Martini V. funestum istius translationis propositum, tanquam veram causam, cur etiam Jacobus electus Româ redierit vacuus) fructum, & effectum electionis sua apud Sedem Apostolicam obtinere non potuit, & remansit sua intentione privatus, ET MULTIPLICITER GRAVATUS; nec propterea tamen ab ejusdem Sedis voluntate, & dispositione discessit, sed se humilians NOTABLEM MANSUETUDINIS, & PATIENTIÆ VIRTUTEM demonstravit, meritis disposuimus, eum in Ecclesia Dei, veluti nobilem plantam in horto Domini, conservare, & PARTICIPEM FACERE FRUCTUUM, & proveniunt præfata Ecclesia, ad quam fuerat, ist præfertur, electus, inherentes vestigiis, & intentioni felic. record. Martini Papa V., prædecessoris nostri, cujus propositum idem fuit, sicut per suas literas declaravit, reservavimus itaque præfato Jacobo pensionem 2000. millium florenorum auri de Camera, (2000. Ducatorum) annis singulis super fructibus, & proventibus ejusdem Ecclesia Trevirensis in certis terminis persolvendam &c. Hist. dipl. Trevir. tom. 2. pag. 379. Quod Papa Eugenius hîc dixit an. 1432., hoc ipsum an. 1433. Patribus, Basileæ congregatis, querulosâ modestiâ exposuit Reverendissimum Capitulum Trevirensis: Est namque verum, quòd per mortem b. m. Domini Ottonis quondam Archiepiscopi, novissimè defuncti, sede vacante, factis stendis, & observatis observandis, juve, & laudabili more consuetis à tanto tempore, quòd non est memoria hominum de contravio, Domini Canonici, numero quatuordecim, Capitulum facientes, in venerabilem virum, Dominum Jacobum de Sirck, dictæ Ecclesia Canonicum, & Scholasticum, voces suas dire-

zerunt, ipsūque in suum, & dicta ecclesia Trevirensis Archiepiscopum elegerunt, prefecerunt, & evexerunt, cum solemnitatibus, & ritibus in talibus fieri consuetis. Cūque verò dictus Electus cum duobus Canonicis Capitularibus ingressus fuisset Urbem, à SSmo Domino nostro Papā Martino cum eā, quā decebat, reverentiā Confirmationem petiturus, ipse Dominus Papa, cum debitā tamen reverentiā loquendo, in favorem Domini Rabani, Episcopi Spirensis, ipsam Rabanum instituit Archiepiscopum, nullo tamen examine factō, aut quocunque impedimento, potente, seu valente, dictam electionem vitare, interjecto, in quo quā plurimum conspexit Capitulum, se fuisse, & esse laesum - - - pro dolor! hoc gravamen geminatam pestem induxit &c. Quoniam itaque sine jure, ac causā electionis canonica confirmatio omitebatur, & subitanea pro Rabano provisio comparebat, Ecclesia Trevirensis in eam non consensit, nec consentire debuit, innocenter supposita interdicto, aliisque censuris: dicemusne cum nolente contractum esse spiritaliter conjugale vinculum, ad quod requiritur mutuus consensus, eligentium, & electi cap. 21. de elect. ? Hic consensus modò demū anno 1435. subssecutus est: antecedenter ergò non erat conjugale vinculum cum Rabano, sed præsentia sponsi non invitati ad nuptias obtrusio: ergò defecit translatio illa in suo termino ad quem: ergò in toto: neque enim intentio translativa provisionis, quam facit Papa, absolvens à termino à quo, dividi debet ab intentione, constituendi absolutum mox in termino ad quem; & circa hoc habemus bonum assine in renunciationibus illis, quæ sunt permutandi animo; nam permutatione ipsā non subsistente, etiam non subsistunt renunciationes præviæ. Cap. un. in 6. Clem. un. de permut. Si igitur profundè consideremus totum, quod fecit Martinus V. cum Rabano, & Adolpho, nihil hoc erat aliud, vel plus, quā imperfecta translatio, consensu Trevirensis Ecclesiæ adhuc indigens, consequenter Adolphi quoque de Spirensi Ecclesiā provisio pariformiter extitit intrinsicè imperfecta, & ab eventu perficienda per consensum Ecclesiæ Trevirensis translationis dependens, cujusmodi provisio eventualis non tribuit presentem actionem ad relaxandum. Et re ipsā Eugenius IV. non tantum non cōegit Rabanum, ut favore Adolphi recederet ab Ecclesiā Spirensi, sed etiam indulgit, ut, motibus anno 1435. compositis, eandem cum Trevirensi retineret, secundum quod Moguntinus, Coloniaensis, & Wormatiensis, quorum decisioni Rabanus, & Ulricus à Manderscheid, ambo exhausti diuturnitate belli, sequestrationibus prius factis, sese submiserant, pronunciārent: definitus est per eos in superiore Laenstein modus, per quem Dominus Rabanus mansit Episcopus Trevirensis, & etiam Spirensis, usque ad tempus, in quo alteri resignaret convenienter, juxta formam compositionis facta. Gesta Trevir. relat. in Tom. 2. Histor. diplom. Trevir. pag. 386. not. a. Et sic

Solvuntur argumenta Panormitani.

Ad num. 11. Retorqueo: Qui vult consequens permutationis, is etiam vult antecedens resignationis: ergò si permutatio non perveniret ad suum statum, resignatio tamen subsisteret! Adagium juris procedit in his consequentibus, quæ non dependent ab

ulteriori eventu, sed numeris suis omnibus absolvi possunt inter solos illos, qui volunt; non sic translatio, propter can. 13. dist. 61. nullus in vitis datur Episcopus, & postulat naturalis ratio conjugii spiritualis, quod absque duorum consensu non perficitur: igitur id, quod voluere Martinus V., & Rabanus, erat unilaterale adhuc, & imperfectum, consequenter fiebat eventualiter, cum imbita conditione: Si Ecclesia Trevirensis voluerit nubere Rabano: hanc nolente, nondum erat translatio, nisi in proposito, & affectu. Velit in Gallia Episcopus transferri, velit Papa eum transferre, expediantur desuper bullae, sine consensu regio imperfecta res est, nihilque agitur: ergo à pari.

- Ad 12. In textibus allegatis intercessit consensus Ecclesiarum postulantium, & ideo perfecta translatio, absolutio, vacatio prioris ecclesiae, secus, quam in casu nostro, ubi omnia erant eventualia.
- Ad 13. Retorqueo: translatio absentis, qui non supplicavit, facta ob merita persona est actus legitimus; ergo non habet tacitam conditionem: si absens consenserit! non erat translatio illa Rabani actus legitimus in sua substantia perfectus; & ideo ex natura rei imbitam tenuit conditionem, quam exprimere non est opus. Et nego, quod consensus translati debeat esse ab omni conditione purus; cum fiat animo obtinendi translationem, sicut consensus resignantium praestatur animo permutandi.
- Ad 14. Petitio pallii nihil facit ad rem: voluit Rabanus observare tempora, ac ceremoniam petendi pallii, & facere Romae, quod in se erat; propterea tamen novam sponfam, ante hujus consensum, non habuit. Nec refert, quod pallium petierit post provisionem Adolphi; nam illa ipsa provisio, quam utrum Rabanus sciverit, nec ne, incertum est, dependit à perfectione translationis per consensum Ecclesiae ad quam; quia ad canonicam translationem requiruntur tres consensūs, nempe transferentis, translati, & ecclesiae ad quam; aliàs non sit conjugium.
- Ad 15. Hoc argumentum reverbero: si non sit translatio absque consensu translatis, velut novi sponsi, cur esset aliqua absque consensu nova sponsa?
- Ad 16. Istud valde durum fuisset, si Trevirensis Ecclesia nunquam acceptasset in suum thorum Rabanum, huic, ut ut malè piscato, non subvenire, sed ex principiis legulejicis virum senem, Principem S. R. Imperii, qui jam tunc rexerat Spirensis Ecclesiam ab anno 1396., consequenter ultra 34. annos, constituere absque veditu omnis Episcopatus, ipsamque solâ actione, quam ad Trevirensis Ecclesiam habere videbatur, interea pascere cum Panormitano voluisse: Rabanus Episcopatu Spirensi non cessit, nec absolutus est ab eo velut quidam renuncians simpliciter, sed velut transferendus; causâ non secutâ, renunciatio evanuit cum absolute, & novâ provisione. Hinc etiam Adolphus, pro quo scripsit Panormitanus, non accepit possessionem Episcopatus Spirensis, sed resignanti anno 1439. 8. Jan. Rabano successit ejus nepos Reinhardus ab Helmstatt.

- Ad 17. Nego, illam *proviserem* fuisse *absolutam*, sed, ex naturâ negotii, in *eventum perficienda translationis*; neque enim fuit intentio Papæ, Rabano præhabitu aufferendi Episcopatum, tametsi ille ad secundum non perveniret. Equidem *casus, rebus completis superveniens*, ad rem non est, secus, si essentialè requisitum deficiat in *rebus incompletis*. Unde patet
- Ad 18. Responsio: Absurdum non est, habere aliquem *duos* Episcopatus, alterum *aliquandiu* retinendo, donec in secundo *jus perfectum* accipiat, & quidem secundum principia Gallicanæ Ecclesiæ *à tempore possessionis*; secundum alias verò Ecclesias, *saltem à tempore consensûs Ecclesiæ ad quam*; nec læditur hęc *spirituale matrimonium*, quia *secundum matrimonium* nondum adest: *matrimonium carnale* infidelis ad fidem conversi, alterâ parte remanente in infidelitate, non læditur, sed retinetur, donec conversus actu ineat secundum. Nimis captiosum est ex parte *Panormitani*, toties urgere *effectum absolutiōnis* Rabani *à vinculo prioris ecclesiæ*; hæc enim absolutio, sicut non fiebat *separatim*, sed *uno eodémque tempore*, & *actu* promotionis per translationem, ita non debuit secundum principia juris *de conjunctis*, & *de partibus unam totum constituentibus*, ab istâ dividi *per signa rationis priora*, & *posteriora*. Utique Episcopus, cum transfertur, *pro prioris signo rationis* absolvitur, *pro posteriori desponsatur de novo*, si velimus scholasticare; sed iste formularis mos supponit *consensus requisitos*, sine quibus ne cogitari quidem potest *desponsatio*: ubi verò *nova* non est *desponsatio*, ibi nec erit *translatio*, ubi non est *translatio*, ibi nec *translativa absolutio*; alia quippe, quam *translativa*, nec petita fuit à *Rabano*, nec à *Martino V.* data.
- Ad 19. Argumentum ex cap. *Pastoralis* 42. VII. q. 1. non est solutum; sicut enim Episcopus *à sede suâ hostiliter expulsus*, & in aliâ vacante Ecclesiâ constitutus, cessante hostilitate reverti ad priorem *tenetur*; quia neque hæc à lege talis Episcopi, nec iste à vinculo ejusdem uxoris fuit solutus; ita quoque Episcopus, *translativè solùm absolutus*, tenetur manere in suâ Ecclesiâ, donec *translatio* perficiatur.
- Ad 20. Dura expressio, quòd *Rabanus* detinisset Ecclesiam Spirensē *ut secretum!* Titulum conservavit; quia nondum fuerat *canonicè translatus*: transtulit eum verbo *Martinus V.*, sed *absque præviâ postulatione*, vel *quâvis voluntate Trevirensis Ecclesiæ*, appromissæ per spiritualia sponsalia dignissimo sponso, *Jacobo à Sirek*, *Rabani* postea successori, invasæ per violentum prociū, *Ulricum à Manderscheid* honestissimæ viduæ, quæ nuptias inutilis ob senium mariti non concupivit: mansit ergò rectè *Rabanus* apud sponsam suam *Spirensē*; nam *provisio Papalis sola* nondum fecerat eum maritum *Trevirensis*, usque aded invitæ, ut maluerit *secundâ vice* eligere *Ulricum*, donec & ipse propter crudelitatem displiceret. Remonstratio Capituli Trevir. ad Concilium *Basileense* in *Hist. dipl. Trevir. Tom. 2. pag. 382.*
- Ad 21. Replicatur, translationem *Rabani* fuisse tantum *unilateralem*, ex solâ intentione *Martini V.*, & *Rabani*, præter omnem expectationem *Trevirensis Ecclesiæ*, habentis aliâs liberam electionem, & hæc quoque vice legitimam,

quæ omnino debuisset confirmari. *Unilateralis* autem translatio nondum est translatio *plene facta*, utpote ad quam *unio cum novâ sponsâ* desideratur. *Panormitanus* non tetigit *nodum hujus causæ*; semper enim in eo est, quod non requiratur *possessio*, & quod casus *supervenienti* non infirmet rectè factum ab initio; cum tamen probare debuisset, *ante consensum nova spiritalis uxoris adesse veram translationem*, in quo est *evanescens causa*.

- Ad 22. Equidem jura sub num. hujus consilii 3. & 8. allegata non loquuntur de *Episcopo* translato, sed de *inferiore Clerico* ulterius promotò, ut rectè solvit argumentum *Panormitanus*. Verùm, an dedit etiam *diversitatem æquitatis*? Nōne major est æquitas, *Episcopum* non amittere prius suum *episcopatum* primum, quàm acceperit secundum, si non *possidendo*, saltem, *consensu* utrinque præbitò, *despondendo*? De *resistentiâ* *superveniente* observa, aliam esse *sponse*, aliam *proci alterius*: hujus *resistentiâ* non impedit translationem, modo velit nova sponsa *prætensa*.
- Ad 23. Subtilitas illa de necessitate *absolutionis*, per prius ad conjunctionem *Episcopi* cum novâ *Ecclesiâ* faciendâ, jam supra est refutata: absolutio illa est *pars translationis*, quæ duo complectitur, nempe *absolutionem*, & *conjunctionem*; si una pars cadat, cadit totum, nempe *translatio*; si non adlit translatio, tunc neque absolutio; retorsio hujus subtilitatis est in casu *permutationis duorum Episcopatum*, coràm solo Papâ forsan factâ, absque consensu *Ecclesiarum*: præcederet hîc etiam *renunciatio*, sed absque effectu *vacationis* ad relaxationem primi *episcopatus* qualificatæ.
- Ad 24. Hoc simile reflectitur in *Panormitanum*, qui supponit professionem religio-
sam esse *validam*; at! si non valeret ista, an non reciperet talis suam con-
jugem? Sic etiam, si *translatio verbalis* non validetur simul *per consensum*
Ecclesiæ ad quam, reciperetur prior *episcopatus*.
- Ad 25. Eo ipso, quod quis acquirat secundum *Episcopatum*, vacat primus: sed
nego suppositum, quod *Rabanus per solam provisionem translativam Martini*
V. acquisiverit Archiepiscopatum Trevirensis.
- Ad 26. *Rabanus* illo adhuc tempore non potuit dicere, *Archiepiscopatum Treviren-
sem esse suum*; & *nemini alteri debitum*; debebatur enim de jure *Jacobo à*
Sirek, canonicè electo, contra cujus validam electionem nullus apex legitur;
nec eam cassavit *Martinus V.*, sed, sicut *Gesta Trevirorum* loquuntur, *Jacobus*
tantùm rediit Româ *vacuus*: & licet iste ob præpotentiam *Candidatorum*
non perurgeret jus suum in *Curiâ*, vel *Imperio*; propterea tamen *Ecclesiâ*
Trevirensis nondum voluerat nubere *Rabano*. Redactio *Trevirensis Archi-
episcopatus* ad nihilum, ut memorant *Gesta Trevirorum*, sub regimine
Rabani, vel potius *Curialium ejus*, illum senem regentium, & *Trevira-
tum* expoliantium, ita, ut successor invenerit 400000. Flor. auri debita,
docuit, plus justitiæ, ac zeli fuisse in *venientiâ Ecclesiæ*, mala inevitabilia
belli prævidentis, quàm in *translativâ provisione Rabani*.



PARERGA.
EX JURE GENTIUM.

TEXTUS.

Cum emptio, & venditio contracta sit, periculum rei venditæ, statim ad Emptorem pertinet, tametsi ea res emptori tradita non sit. §. 3. Instit. de empt. & vend.

Crisis. Non est hæc veritas Juris Gentium; naturaliter enim perit res suo domino, etiamsi hic sit debitor speciei. Quod axioma aded verum est, ut quoque venditori res pereat, quando tradidit rem, dominio sibi usque ad solutionem reservato.

Quæstio. Cujus autem naturaliter est commodum rei venditæ, nondum traditæ? &c. R. Naturale emptoris est, casuale venditoris.

EX JURE CANONICO.

Ad Tit. VII. Lib. IV. Decretal.

Illa qualiscunque probabilitatis opinio, quod impedimentum matrimonii, ex crimine dirimens, non liget ignorantes, esse impedimentum, practicari non potest.

Ad Tit. VIII.

I. Debet aut nulla dari contagiosa lepra, aut teneri conjux etiam cum periculo contagionis reddere debitum, aut cap. 2. b. t. non subsistit.

II. Primum sana doctrina medica dicere non sinit: secundum lex naturalis conservandi proprii individui dissuadet:

III. Ergo amplectimur tertium, & potiùs cum Stephano II. Papâ periculum infectionis, & prolis nascituræ attendimus;

IV. Nam, præter fornicationem, plures dantur casus, ubi conjux conjugii justitiam exhibere non tenetur.

Ad

Ad Tit. IX.

- I. *Error conditionis servilis est error in personâ, licet illa conditio duntaxat foret juris Bohemici, vel Palatini, aut similis, non juris gentium.*
 II. *Error qualitatis circa nobilitatem generis tunc est error in personâ, cum quis expressè petierit nobilem genere, & deceptus fuerit.*

Ad Tit. X.

- I. *Fons cap. un. h. t., ex S. Gregorio M., loquitur de prole natâ ex iustis canonicè nuptiis inter servum & liberam: Compiler Decretalium hanc circumstantiam omisit: concludimus, natum ex conjugio servi & liberæ valido, sequi, non matris, sed patris, conditionem;*
 II. *Nam post S. Gregorium consuetudo inolevit, ut in talibus nuptiis conditio patris attenderetur.*

Ad Tit. XI.

- I. *Can. i. XXX. q. i., qui est Papæ Deusdedit sæculo VI., duas habet partes: Prima conjuges, qui, licet ignorantes, proprios filios ex sacro lavacro suscepissent, juxta decisiones Julii, Innocentii, & Caelestini PP., perpetuò separat à cohabitatione; secunda declarat impedimentum dirimens compaternitatis, punitque præsumentes inire cum eo conjugium: non de primâ, sed de secundâ parte intellige fragmentum ex fonte subjunctum: mulieres verò, cum separatæ fuerint pro hac illicitâ re à propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quàm in die nuptiali receperunt, & post expletum annum recipiant alium (malè hic quidam substituunt illum) virum, similiter, & vir uxorem.*
 II. *Rigorem primæ partis temperavit sæculo IX. Nicolaus I. in can. 3. & 6. XXX. q. i. sæculo XII. Alexander III. in cap. 2. h. t. sive igitur compaternitas ab ignorantibus, sive à scientibus, ab uno, vel utroque, contracta fuerit, non indigent restitutione juris exigendi debitum conjuges.*
 III. *Quod ipsum quoque de conjugibus post contractum matrimonium*

propriam sobolem, sive in necessitate, sive extra necessitatem, baptizantibus, sentimus, etiamsi ambo consentirent in baptismationem talem.

Ad Tit. XII.

Impedimentum dirimens matrimonii ob cognationem legalem oritur solum ex arrogatione, non ex adoptione in specie.

CASUS CANONICUS.

Princeps sæcularis prohibet ob necessitatem provinciæ sub clausulâ cujuscunque conditionis, & statûs, ne quis frumentum evehat: Clericus evehit sua frumenta, deprehenditur, & illa confiscantur.

Q. An jure? R. Negative.

EX JURE CIVILI.

Ad Titulos Si adversus. Lib. II. Cod.

Ad Tit. XXVII.

I. Minor tempore ventilatæ litis, major tempore latæ sententiæ existens non restituitur, etiamsi causam condemnationis in omiffas probationes conferret.

II. L. 2. h. t. non est correctâ per l. 2. C. qui & advers. quos.

Ad Tit XXVIII.

I. Rectè accepit Martinus legem i. b. t. contra Bulgarum de corporali juramento, restitutioni minoris obstante, sive contractus valeat, sive non.

II. Et idè subjuncta legi authentica Fridericiana de utroque casu accipienda est.

Ad Tit XXIX.

Si creditor minoris ipsemet pignus conventionale distraxerit, minor adversus venditionem pignoris restituitur, probato gravi damno, sed si pignus prætorium, aut judiciale fuerit per autoritatem distractum, non restituetur minor, nisi probato magno, i. e. enormi damno.

Ad Tit. XXX.

- I. *Minor etiam adversus piam causam, cui minor cum læsione gravi patrimonii donavit, restituetur.*
- II. *Adversus dimissionem beneficii liberalem restituetur, etiam re penitus perfectâ, siquidem Clericus manserit: non restituetur, si statum laicalem elegerit.*
- III. *Inconsulta sponsalia sunt immodica donatio: igitur minor adversus ea restituetur.*

Ad Tit. XXXI.

- I. *Contra sententiam de manumittendo servo datur minori & appellatio, & restitutio.*
- II. *Contra sententiam, pro libertate latam, datur solum appellatio, non restitutio.*
- III. *Restituens minorem sententia reformat sententiam contra quam, sicut in appellatione.*

Ad Tit. XXXII.

- I. *Restitutio minoris adversus transactionem habet vim resuscitandi mortuos.*
- II. *Hoc genus restitutionis non est concedendum, nisi probatâ enormi læsione,*

CASUS CIVILIS.

Titius, duas habens domos vicinas, alteram relinquit hæredi suo, alterius verò legat Cajo usumfructum, sub lege promittendi hæredi, quòd altiùs nolit tollere; Sempronio quoque legat usumfructum cujusdam prædii cum potestate alienandi illud. Q. An vera sit communis opinio, quòd in utroque casu censeatur legata quoque proprietas fuisse? R. In primâ specie adharemus, in secundâ sumus contrarii.

EX JURE PUBLICO S. R. I.

- I. *Jus monetæ cudendæ non evasit hætenùs pars superioritatis territorialis, sed mansit verum regale.*

II. *Utrum non sit hujus regalis abusus, sola absque Statibus Imperii Cæsarea Majestas potest commissiones decernere, atque reformare.*

EX JURE FEUDALI.

Solitum est per 200. annos dari feudum rusticum de patre ad filium, ita tamen, ut in nullâ investiturâ posita sit mentio hæredum, vel successorum; quale genus feudi erit? R. Purè personale, ad diem vite.

EX JURE CRIMINALI.

Captivus ob crimen ante litem cum Fisco contestatam fugere salvâ conscientia potest ex carcere, per indulgentiam ejus ad libertatem appetitûs, quem natura omnia animalia docuit, post litem contestatam non potest, multò minùs quisquam eum sine peccato juvare poterit.

AD JUS STATUTARIUM TREVIRENSE.

Retractus vulgaris contra Nobilitatem, bona civilia & rustica acquirentem, post 40. annos cessat, nisi retrahere volens probet negativam non datæ à Principe licentiæ acquirendi.

HISTORICUM.

- I. *Ante conditam authenticam Friderici Imp. Statuimus, ut nullus Cod. de Episc. & Cler. Clerici perfectum fori privilegium non habuere.*
- II. *Imò nequidem post eam uniformiter usque modò.*

I. O. H. D.





